


COMMENTATIO

DE

LEGIBUS, QVÆ JUS ISLANDICUM HODIERNUM EFFICIANT, DEQVE EMENDATIONIBUS NONNULLIS, QVAS HÆ LEGES DESIDERARE VIDEANTUR,

QVAM

PRO SUMMIS IN UTROQVE JURE HONORIBUS RITE OBTINENDIS CONSULTISSIMÆ FACULTATI JURIDICÆ HAVNIENSI

SUBJICIT

MAGNUS STEPHENSEN

REGI A CONSILIIS CONFERENTIARUM & JUSTITIARIUS TRIBUNALIS ISLANDIÆ SUPERIORIS P. P.

HAVNIÆ MDCCCXIX.

TYPIS P. D. KIÖPPINGII.

Commentationem hanc inauguralem, qvæ penitiore legum Islandicarum cognitione et judicii acumine se commendat, plurimumqve lucis materiæ pertractandæ affundit, Ordo Jurisconsultorum Universitatis Regiæ Havniensis dignissimam judicat, qvæ summos in utroqve jure honores docto et de litteris Islandiæ optime merito auctori acqvirat. Ob distantem verò ipsius, gravissimo munere in longinqva provincia fungentis, habitationem, Augustissimi Regis gratia id auctori concessit, ut a publica eruditi speciminis defensione, alioqvin ritu solito instituenda, immunis fieret.

M. H. Bornemann
Decan. Facult. Jurid.

Vita auctoris.

Natus sum ego Magnus Stephanius in Islandia Leiraæ, prædio in toparchia Borgfiordensi sito, die 27mo mensis Decembris An. 1762. Parentes defunctos lugeo, patrem Olavum Stephanium, qvi per 40 annos præfecti & dioecetæ munere in patria fungebatur; matrem Sigridam Magnæam, præfecti Magni Gislauii filiam: par coniugum, ut præstantissimum, ita antiqvitate generis in patria clarissimum. Hi summa cum deligentia me a primis inde cunis educarunt, idqve tanta sollertia, ut me Anno 1779 e schola Schalholtina dimissum, docti & celebris episcopi Johannis Finnæi privatæ institutioni commendarent, qva cum per biennium usus essem, An. 1781 Havniam me contuli, eodemqve & seqventi anno 1782 examina propædeutica, cum unanima doctorum qvin insigni qvorundam laude absolvi, & eodem anno collegio regio camerali út voluntarius adscriptus sum, studio simul jurisprudentiæ operam navans. His studiis intentus sub finem mensis Septembris anni 1783 regium jussum accepi, ut patriam reviserem

qvam anno superiore immanis eruptio montis ignivomi Skaptàriökull dicti, afflixerat; in mandatis erat ut hujus mali effectus & seqvelas explorarem & describerem. Huic negotio expediendo me commendaverat vir perillustris Johannes Ericius Regi a Consiliis Conferentiarum, cuius in me animum adverterant studia & opera qvam in physicis simul atqve mathematicis collocaveram. Regio mandato, mihi clementissime iniuncto summa qva potui cura in Islandia perfunctus, Havniam redii anno 1784 & Collegio Regio Camerali accuratam hac de re descriptionem submisi. Ita, regio jussu, publice prodiit An. 1785 danico sermone Descriptio de eruptione montis ignivomi Skaptàriökulis, post germanico sermone donata a libero Barone de Eggers in philosophica descriptione præsentis Islandiæ status (*Philosophische Schilderung der gegenwärtigen Verfassung von Island*) et anglico in itinerario Hookeri (Hookers Tour in Iceland 1809). Interea An. 1784 scriba collegii Camerarii constitutus sum, sed promulgato decreto regio qvod scholam Skalholtinam & sedem episcopalem Reikviciam transferri iussit, denuo regium mandatum accepi, ut, publicis auctoritatibus munitus, in Islandiam redirem, sedis & scholæ cathedralis rationes & inventaria tradita acci-

perem, istaqve unacum prædiis istuc pertinentibus, auctione constituta, pecuniis mutarem. Hoc negotio peracto Havniam reversus, redditis rationibus, per Collegium Regium camerale clementissimam Regis approbationem consecutus sum, iam deniqve studiis absolutis, examen juridicum An. 1788 cum laude sustinui. Eodem anno pro nomophylace borealem & occidentalem Islandiæ præfecturam administravi, & tum ut & annis 1789—90 ex mandato regio totam obivi australem præfecturam, ut qvæ nondum venierant sedis & scholæ cathedralis bona venderem. Anno 1789 Collega adscriptus sum Regiæ societati litterarum Norvegicarum; Eodem Anno die 18 Aug. Nomophylax istius præfecturæ constitutus sum; annis 1793—95 simul Qvæstoris provincialis constituti in Islandia munus ita obiui ut regiam approbationem obtinerem. Anno 1795 Societatem popularis cognitionis promovendæ institui, eiqve rector & præses ad hunc diem præfui. Anno 1799 Havniam profectus, selectorum virorum collegio, qvod res scholasticas & jura islandica compararet, adscriptus sum ex cujus auctoritate utræqve dioeceses & scholæ in unum conjungebantur & Tribunal Islandiæ superius instituebatur, cujus judex primarius (Justitiarius) die Jan. 1800 creatus & regi a Consiliis justi-

tiæ constitutus sum; tum qvoqve collega correspondens Societati litterarum scandinavicarum adscriptus sum. Anno 1807 Havniam iterum petens, statum Islandiæ adcuratius describere conatus sum in libro qvi inscribitur: Islandia in seculo 18vo ed. 1808. Hoc anno, Regis augustissimi gratia, Regi à Consiliis status designatus sum, præsesqve constitutus Tribunalis criminalis superioris, qvod tunc in Islandia instituebatur & ad 3ium diem Maii 1816 viguit. Eodem qvoqve anno Societates Regiæ rei veterinariæ & rusticæ me collegam Correspondentem elegerunt, cum illi tractatum obtulissem de animalibus Islandiæ domesticis, eqvis, pecudibus, vaccis, qvi ejusdem Societatis scriptioni insertus est Vol. 1mo 1808; huic alium de fucis edulibus inprimis alga saccarifera (fuco palmato), qvi tum in actis societatis reperitur, tum separatim in forma 4ta, pictis iconibus illustrata; eodem anno editus eo consilio, ut in Norvegia distribueretur. Eodem qvoqve anno tractatum danice & islandice confeci, cui titulus: Hugvekia til Islands gòdu innbúa (ɔ: adhortatio ad bonos Islandiæ incolas) qvi tractatus regio sumtu typis exaratus et gratis in Islandia distributus est. Anno 1809, patriæ redditus sedatis turbis Jörgensenianis, mu-

nere dioecetæ & australis Islandiæ præfecti ad idus usqve Julii 1810 ita functus sum, ut qvæ in hoc munere gessi, Collegia regia qvæ harum rerum curam habent, singula adprobarent. Dum in hoc munere versatus fui, auctoritate regia die 21mo Julii 1808 mihi data, Præscripta in usum Reppagogorum sermone islandico conscripsi et Anno 1812 copioso commentario illustravi, & præterea librum in usum Transactorum Islandiæ. Anno 1815 ultima vice Havniam profectus, titulo Consiliarii Conferentiarum a Rege augustissimo gratiosissime donatus sum.

Anno 1788 conjugem dilectissimam Gudrunam Schevingiam Toparchæ Vigfusi Schevingii filiam in matrimonium duxi, e qva tres sustuli liberos qvorum duo sunt superstites.

Intentior librorum & lectionis amor, necnon aliqvid curæ his tributum, ardens studium popularem cognitionem in Islandia promóvendi, iniqvam eorum sortem pro virili sublevandi, abusus & arbitraria qvævis abrogandi, hoc, inqvam, studium maturam ætatem mihi maxima ex parte occupavit, & porro occupabit, qvamdiu per valetudinem & sortem licebit. Hic finis est complurium qvæ elaboravi scriptorum, qvorum recensus in Wormii Lexico, maximam partem exstat et præterea in Mackenzii itinerario pag. 325, nempe:

Tractatus de meteoris, insertus scriptornm Societatis litter: isl. Vol. 3tio 1783 in 8vo.

Oratio & carmen funebre in memoriam celebris Episcopi Dni Johannis Finnæi habita, 1796 in 8vo.

Laudatio in eundem, habita 1797 in 8vo sermone islandico.

Vinagledi i. e. oblectamentum amicorum, continens varia poetica atqve prosaica, argumenti partim historici & moralis, partim ex historia naturali, physicis & astronomicis petiti, lingva islandica 1797 in 8vo.

Minnisverd tídindi i. e. res me morabiles, complexus historiæ ab anno 1793 ad annum 1801 incl. 5 Vol. in 8vo sermone islandico.

Gaman og Alvara i e. iocosa & seria; partim poesi, partim prosa, argumenti moralis theologici, vel ex medicina aut literis elegantioribus desumta, partim origine vernacula, partim cum delectu translata, pars prior 1798, & posterior 1818, in 8vo, sermone islandico. Priori libello tres tractatus juridicos a me confectos inserui,

a. Num justum est aut utile in Islandia omnia demortuorum bona relicta qvæ hæredes sui juris inter se non partiuntur, aut indivisa adeunt, auctione divendere? pag. 12—35.

b. De effectu legum, qvæ de mendicis &

inqvilinis agunt, de foeneratione & qvæstu mangonico, pag. 53—69.

c. De populi tributis & operibus lege impositis; item de mulctis pecuniariis, pag. 113—161.

Defensio pro læso Islandiæ magistratu 1798 in 8vo.

Collectio edictorum & rescriptorum &c. pro Islandia edictorum ab Anno 1800 cum gravissimis superiorum temporum edictis, islandico sermone donata, curante Tribunali superiori.

Oratio habita cum hoc tribunal primum institueretur An. 1801 in 8vo, lingva islandica.

Memoria seculi decimi octavi, islandice, 1806 8vo.

Islandia in seculo 18vo (idem liber, similis qvidem passim argumenti, diversa autem forma & tractatione) danice 1808 in 8vo cum tribus tabulis.

Præscripta in usum Reppagogorum (*Instrux for Repstyrere*) islandico sermone conscripta, 1809 in 8vo., in danicum conversa & eodem anno ad Collegium Qvæstorum relata.

Handbók fyrir hvörn mann (Enchiridion populare.) islandice conscriptam, continet Commentarium in librum proxime allatum, 1812 in 8vo.

Libellus in usum Transactorum Islandiæ, islandice, scriniis adhuc premitur, prelo maturus.

Pro summis in jure honoribus Dissertationem Censoribus consultissimis probatam scripsi, cui Titulus: Commentatio de legibus qvæ jus islandicum hodiernum efficiant, deqve emendationibus nonnullis, qvas hæ leges desiderare videantur.

Errata:

Pag. 34 not. **	lege:	pag. 32—33
— 39 l. 3	—	foemina.
— 48 l. 4	—	pag 33.
— 52 l. 16	—	exemti.
— 52 l. 17	—	intendebatur.
— 54 l. 21	—	pag. 29.
— 71 l. 22	—	annumerat.
— 71 l. 24	—	publicatione
— 80 l. 23	—	*mikils*
— 95 l. 1	—	suppellectilia.
— 115 l. 14	—	existimamus.
— 137 l. 15	—	pag. 34—35.
— 144 l. 14	—	Landl. b.
— 149 l. 11	—	hoc.
— 169 not. l. 8	—	annuam.

§. 1.

Leges, qvæ *hodiernum Jus* constituant *Islandicum* paucis diligentius discernere, nec non *præcipua* juris hujus annotare *vitia* cum animum induxerimus, prævià utiqve opus est declaratione, nos ex variis, qvas vocabulo *Juris* tribuunt Jurisconsulti significationibus, hac qvalicunqve disqvisitione illius solummodo rationem esse habituros, qvæ *Complexum* notat *legum adhuc vigentium*, adeoqve vocabulis: "*Jure Islandico*," *Complexum legum Islandiam hodie obligantium*, hic indicamus.

Harum vero *præcipua vitia* demonstraturi præviam qvoqve disqvisitionem, *qvænam leges, ut hodiernum jus constituentes Islandicum*, juste censeantur, istamqve obligantes

insulam — etsi arduam satis, nihilo tamen minus necessariam duximus, qvâ ratione facilius hujus studii probabitür difficultas et *præcipui defectus* legum Islandicarum, qvi sospitalem legislatoris manum reqvirere videntur, detegentur.

§. 2.

Primo intuitu talem ut supervacaneam qvidam forte considerabunt disceptationem, utpote cujus argumentum indubium sit satisqve dilucidatum commemoratione legum Islandiam hodie obligantium, qvam nobis offerunt evulgata dudum qvædam Systemata Juris celeberrimorum qvippe doctissimorumqve Juris Antecessorum *Kongslewii, Nörregaardii, Hurtigkarlii*, nec non ipsius Islandiæ qvondam Nomophylacis *Svenonis Sölvii* *), horumque omnium primi laudatissimiqve in jurisprudentia ducis *Andr. Höyeri***), cujus dogmata hac de re, neglecta tantummodo satis stricta eo-

*) Ut *Tyro Juris* 1754 c. 3. et *Jus criminale Islandicum* 1776.

**) *Idea jurisconsulti danici.*

rum censura, nonnulli successorum comprobasse videntur. Qvæ tamen, si sollicite ponderata cum ipsarum legum expressis conferantur imperatis, pius qvisqve et consideratus jurisconsultus propediem comperiet admodum esse dubia, immo talia, qvæ juniorum saltem jurisprudentiæ cultorum facile inducant animum in hæc Magistrorum inconsulte jurare verba, nec non in caussis islandicis, jus sæpius dicere juxta normam legum, qvarum ipsa præcepta nullum talibus hac in insula imperant obseqvium aut saltem earum concedunt usum.

§. 3.

His ut assertis majorem faciamus fidem, ultro observamus:

1º. Qvod laudati, caeterum de jurisprudentia optime meriti auctores docuerint*), "præter caussas de *homicidio et furto*, *etiam alias criminales* (exceptis solummodo delictis

*) *Kongslewii Private Ret*, 1ste Bd. 1781. pag. 420. et *Nörregaardii Forelæsn.* 1 D. 1784. P. 22.

carnis), *de qvibus Codex legum Islandicarum Jónsbók* dictus — *aut nihil prorſus aut minus circumſcriptè aliquid ſtatuerit, juſſu regii ad Islandos Reſcripti* (dati 19 Febr. 1734) *eſſe dijudicandas, juxta normam Codicis Norvegici Chriſtiani Vti, quod etiam de cauſis valere contendunt civilibus, qvatenus hujus codicis præcepta Islandiæ ſatis commoda cenſeantur.*"

Non tamen ullam placuit viris celeberrimis laudare legem adeo confidens probantem dogma, qvod idcirco ut illorum privatum ſolummodo placitum eſt conſiderandum de Codicis Norvegici Islandiæ ſatis commodo, ut arbitrantur, uſu in cauſis tam civilibus qvam criminalibus. Si vero Reſcriptorum d. 20Mart. 1563 et 19 Febr. 1784, hujus præſertim, ut poſtremæ de uſu Codicis Norvegici *Chriſtiani Vti* in Islandia legis generalis, ipſa conſultaverimus præcepta, eorum genium probe disquiſituri, hunc contrarium prorſus innuere reperimus, immo judicibus in Islandia uſum Codicis Norvegici in cauſis civilibus et promiſcue cum Islandico Legum Codice ſevere interdixiſſe, jubendo contra: "cauſas potius

juxta tenorem *priſtinarum* in Islandia uſitatarum legum, *Ordinationum, Receſſuum* *), *datarumqve Islandis Conſtitutionum*, qvam Codicis Norvegici eſſe decidendas, cujus tantummodo, *ubi arbitraria ferenda ſit ſententia, permittitur conſultatio*." Hæc certe eum in finem, ut *arbitrariæ* in cauſis legibus Islandorum non definitis *ſententiæ* nil ſtatuant contrarium principiis juris Norvegici, dum judices hujus analogiæ, qvatenus Islandiæ poſſit accommodari, reſpectum habere teneantur.

Laudati hujus edicti rationem ipſa caeteroqvin profitentur verba magni certe momenti, "qvod generalis cauſa foret ingentis perturbationis, ſi uterqve legum Codex, Islandicus nempe & Norvegicus, promiſcue adhiberetur, hic uni, ille alteri ut norma morum, actionum, jurium & obligationum.

Prudens igitur hoc edictum omnes generaliter cauſas comprehendiſſe, qvatenus ex-

*) *Receſſum* Regis Chriſtiani IIItii in omnibus cauſis obſervare, de qvibus leges Islandicæ nihil præceperunt, judicibus in Islandia injunxit Reſcript. d. 20 Mart. 1563, in eccleſiaſticis vero Ejus nec non *Chriſtiani 4ti Ordinationes*.

preſſis non excipiuntur legibus tam civiles, qvam criminales, jam erit concludendum, præſertim cum laudatum Reſcriptum d. 1734, nullo modo deroget antiqviori d. 2 Mai 1732, expreſſe jubenti: *"Donec novus legum Islandicarum Codex fuerit concinnatus regiamqve nactus approbationem, Islandos eorumque judices antiqvo Islandorum codici legum, earumqve emendationibus ſive recentioribus huic inſulæ datis conſtitutionibus in omnibus cauſis ſubjectiſſimam præſtare obſervantiam, exceptis duntaxat formulis proceſſualibus & modo procedendi, de qvibus ſumma præceptorum codicis legum Norvegici interea ſit norma;"* cui Reſcr. d. 19 Febr. 1734, novum adjecit præceptum: *cauſas de homicidio & furto ad tenorem Codicis Norvegici, delicta vero carnis ad normam magnæ ſententiæ (Stóridómur appellatæ) regiam nactæ confirmationem Anno* 1565, *donec novus legum Codex Islandicus, regia munitus approbatione prodiret, in Islandia decidi, cæterum omnes alias, in ſpecie criminales, antiqvo jure & legibus dijudicari."*

Eandem Legislatoris voluntatem, idemqve præceptum nobis, posterisqve legem, non disparem promulgavit Refcr. d. 16 Maii 1760. §. 1. jubens, novæ rogationis legum Islandicarum, ceu fundamentum servari Codicem legum *Magni Lagabætirs*, *Jónsbók dictum*, â cujus principiis non sine urgente necessitate aut vero commodo publico esset declinandum, nec non §. 5, emendationes legum, *Constitutiones*, *Recessus*, *Ordinationes*, *Rescripta regiaqve* alia Islandis transmissa *edicta* in hanc referri rogationem. Modum tantum procedendi, ad ductum Norvegici Legum Codicis *Christiani Vti.*, *quatenus insulæ commodo ita consuleretur*, *conformari jussit* §. 11, cæteroqvin §. 6, reliqva sollicita cura et considerate huic Codici attemperari, *simodo insulæ et populi naturæ*, *moribus*, *usuiqve recepto convenirent*, et in *bene concinnum*, *cum reliqvis legibus et consvetudinibus Islandicis congruum*, *Systema juris possint reduci*.

Constitutiones itaqve modo laudatæ, nullum sane concedunt usum Codicis juris Norvegici vel judicibus vel aliis publicis in Islandia præfectis muneribus, in dijudicandis cau-

ſis criminalibus, ſi homicidii furtique ſolas, nec non qvasdam ſtupri et criminis falſi ſpecies, juxta recentiorum præcepta edictorum (de qvibus plura No. VIII. infra §. 20) exceperis. Fallitur ergo beat. *Sveno Sölvius* docens *): "in Islandia receptum eſſe, ex Reſcr. d. 19 Febr. 1734, Codicem ſeqvi Norvegicum in omnibus aliis criminalibus, ubi antiqva lege *Jónsbók* vel nihil cautum, vel non definite ſatis pro norma judicum reperitur, qvam theſin in celeberrimorum juris Anteceſſorum *Kongslewii* & *Nörregaardii* Syſtemata, qvamqvam minus conſulte, traductam eſſe dolemus.

Valet qvidem Codex Legum Norvegicus qvoad *formalia proceſſus* in omnibus tam civilibus cauſis, qvam criminalibus, inde vero non ſeqvitur, qvod nec ulla cautum eſt lege, hujus ad normas obligationes jurave civium privata eſſe decernenda **); in caſibus ſolum-

---

*) *Jure Criminali. p. 5.*

**) Eandem qvoqve diſcimus amplexos eſſe ſententiam illuſtriſſimos Juriſconſultos et conſiliarios ſtatus Drem. et Eqvitem auratum *A. S.*

modo, qvi *arbitrariam* reqvirunt *ſententiam*, circumſpecte qvidem evolvendum cenſemus hunc codicem ejusqve præceptorum genium & principia probe conſulenda, at dein explorandum, qvâ demum ratione Islandiæ, ejusqve civium conveniat naturæ, moribus, juris analogiæ, vitæ generi, receptoqve uſui, anteqvam ejus in ferenda ſententia rationes adoptari liceat decidendi. Fatendum eſt qvoqve, majorem hac veniam vix ulli concedendam eſſe, nec judicibus nec aliis præfectis muneribus, qvorum nonnulli, ſi vel non unicuiqve indigenarum contigit uberior rerum prudentia, exiguam adeo produnt veram Islandiæ, hujusqve naturæ, incolarum indolis & morum,

---

Örſted in ejusdem *Supplemento* ad prælectiones celeberrimi *Nörregaardii* 1 B. §. 33, No. 3 & 5; et partim Anteceſſorem Juris *F. Th. Hurtigkarl*, in *Syſtemate juris privati Danico-Norvegici*, T. 1. p 20 hac de re, doctrinam qvorundam anteceſſorum Academicorum prætereundo declinantem, qvamqvam miremur eum adhuc ſtatuiſſe *liorum 2um. Codicis legum Norvegici Chriſt. 5ti. jus islandiæ* conſtituere *ſubſidiarium*, de qvo plura infra.

lingvæ, legum, vitæ generis, consvetudinis &c. notitiam, ut prorsus inhabiles sint comperti, juste discernendo, qvænam exoticarum legum nostræ bene conveniant insulæ, necne, qvod soli censemus Legislatori reservandum, qvippe qvi præviæ eruditorum disqvisitioni talia plerumqve committat, anteqvam in album legum referri jubeat.

Qvibus in caussis recentiora Regum edicta obligandi vim in Islandia tribuerint nonnullis articulis Codicis Norvegici, suis locis infra explorabimus.

2º. Justa illa summaqve formula juridica: qvod *"lex non promulgata, neminem obliget subditorum,"* dum firma inconcussaqve viget, ut semper oportet, tamdiu enim consideratur, ceu lex populo ignota, extraneæ instar & alienæ, cujus objectivos æqve ignorat fines, ac voluntatem Legislatoris, an et qvando & qvatenus jubeat illam subditos obligare, provocanda certe est probatio unius cujusqve, qvi laudatum legis Norvegicæ in Islandia valorem contenderit, qvâ perhibeat regium aliqvod edictum, tantum huic Codici in Islandia concedens valorem. Tali destitutus

argumento judex aut publico præfectus muneri, qvo jure contendat Codicem Norvegicum alicujus in Islandia esse valoris, hujus incolas ejus teneri præceptis, neqvaqvam intelligimus; cum, si vel tale exstiterit edictum, qvod plane negamus, necessarium certe fuisset, solemni publicatione, legum codicem, perinde ac alias leges, evulgare coram publicis provinciæ tribunalibus, in legum referri album, eumqve genuina propriaqve subdiris conditum lingva, aut per universos insulæ tractus publice distribui, aut ibidem saltem venalem fuisse, auctoritate editum publica, ne populus, qvem obligaverit, ejus observantiam, ut legis ignotæ, obscuræ et neutiqvam illi parabilis, juste recuset.

Regium vero tale edictum unqvam exstitisse, Norvegico Codici in Islandia observantiam generaliter imperans, si pauca specialissima suis locis infra commemoranda exceperis Rescripta, unum alterumve juris argumentum respicientia, neqvaqvam probabitur, neqve ulla codicis hujus in nostra insula publica, ceu legis, proclamatio, nec in albo legum coram tribunalibus annotamentum, nec

deniqve ulla ejus in lingva Islandica editio, publicâ auctoritate *); qvæ omnia dum desunt, Islandi Codicem legum Norvegicum, jam præterea ut exteros, non vero hic indigenas obligantem, ceu exoticum jure considerant, cum laudata insuper edicta annorum

*) Apparuit qvidem Hrappseyæ 1779 privatâ tantum curâ et sumtibus Codicis Norvegici versio, ut audit, *Islandica*, sed, ut mittamus dictionem ejusdem corruptissimam, innumeris ipsa scatet erroribus, qvocirca perexiguus illius aut fere nullus erit usus. Ne otio nostro neqve indulgentia lectorum eam ultro recensendo abutamur, sufficiat hic solummodo duo hujus rei adferre documenta, desumta ex libro 5. c. 2, qvod tamen majore curâ, utpote operâ *Magni Ketillii* translatum esse censetur, dum reliqva, juris prorsus imperito cuidam juveni scholastico adscribuntur. Secunda tamen et correctior editio versionis, Libr. 5. c. 2. adhuc exhibet 5—2—63, 64, 65 vocabulum *Sædegaard*, islandice versum *Sádgard*, qvod tamen denotat *hortum* aut *agrum circumseptum*. Hæc qvoqve editio convertit *Hovedlod* 5—2—55 in *Eigur* (Dan. *Eiendom*), addita notulâ illustrante, vocabulum *Hovedlod* ibidem plus bonis mobilibus comprehendere.

1732 & 1734 nec non 1760 usum hujus jam dudum illis interdixerint.

§. 4.

Statuunt juris Systemata *Librum 2um Norvegici Codicis Christ. Vti.* ceu *jus Islandiæ subsidiarium jure considerari*, cui *Kongslewius* addidit: *"maaskee for mere,"* his indirecte innuens: hunc fere ut *ordinarium jus Islandiæ ecclesiasticum* esse existimandum. Tanti momenti thesis ut æque ponderosis innitatur argumentis necesse est, qvæ tamen prorsus desiderantur; non enim ullam perhibent hujus fautores legem, ne quidem locum legis singulum, illam probaturam, dum laudata duo Rescripta d. 1732 & 1734 talem in genere legis Norvegicæ expresse vetant usum, ideoqve ejusdem libri 2di, prout rationes supra No. 2, p. 10 — 12 allatæ idem qvoqve corroborant.

Librum 2um Codicis Norvegici interdum et qvidem justo sæpius revera qvibusdam in usu fuisse*), nec justum hujus titulum, neqve

*) *Sölvii* Jus Criminale, p. 5, ubi qvorundam abusus legis Norvegicæ in Islandia auctorem

talem laudatæ legis idcirco in Islandia valorem, ſed damnoſum multo magis teſtantur abuſum. Mirum igitur eſt, celeberrimum *Kongslewium*, etſi uſum legis Norvegicæ in Islandia, nemine conſulto, ut abuſum, maximas ibidem perturbationes parientem condemnaverit, hanc nihilominus legem ceu in genere hac in inſula valentem commemoraſſe *).

Epiſcopus olim Skalholtenſis Dioeceſeos celeberrimus *Dr. Finnus Johannæus* expreſſe profitetur: "Præfectum Islandiæ *Möllerum* ejusqve ſucceſſores ab anno inde 1688 uſum legis Norvegicæ ſæpius Islandis obtruſiſſe, ipſi tametſi Reges hanc nunqvam illis tulerint legem **). Nomophylax qvoqve æqve celebris *Paullus Vidalinus*, anno 1727 fatis demum functus, illicitam prorſus, Daniæ Norvegiæ & Islandiæ legum permixtionem,

---

adeo fefellit, ut illuſtriſſimi *Höyeri* Dogmata hac de re ſuo operi inſerere, ut cum legibus Islandiæ congrua et ibidem legitima, non hæſitaverit (cfr. *Höyeri idea Juriscons.* Dan. verſ. Dan. 1737, p. 48.

*) L. c. p. 237—240.

**) *Hiſt. Eccl. Isl.* T. III. p. 493.

malorum Islandis inde natorum graviter his incusat *): "Qvot," inqvit, "ambages, diverticula & cavillationes nostra in insula fuerint excogitatæ, audacem post temeritatem nostratium, Jus Danicum, antiqvo nostro, innumeris huic contrarium modis permiscendi, paucis non describetur. Dolendum est sane multorum jura exinde esse violata." "Immo antiqva lex nostra, jussu Regum judicibus in omnibus norma, modo religioni aut absoluto regum imperio nil præcipiat contrarium, jam dudum ut obsoleta consideratur et antiqvata."

Tali satis congruam sententiæ alteram hac de re tulere æqve memorabilem plures nostratium celeberrimi, juris nempe consultissimus *Johannes Erici*, Regi a consiliis Conferentiarum, nec non Toparcha *Johannes Arnæus*, censendo: "Judices usu legis Norvegicæ ulla sine venia regum, ipsa jura majestatica violasse, novas scilicet commendando

---

*) Vide ejusdem *Glossas* in Codicis Legum *Jónsbók* voces obscuras: *Réttari*, *Kóngssóknari*, *Syslumadur*.

"atqve introducendo leges (cfr. Leg. Norv. "1—1—1, 2) nullum inter ufum novæ ad "naturam provinciæ conformatæ, etfi extero- "rum juris principiis fuperftructæ legis gene- "ralis *) et permixtionem plurium invicem "contrariarum discrimen animadvertentes; "formulas qvoqve juris Norvegici proceffuales "lege receptas anfam prætcrea dediffe præ- "fectis Islandiæ ibidem introducendi varia "edicta et Refcripta, neutiqvam ad hanc per- "tinentia infulam, aut illi data, qvæ vero fuit "æqve impoffibile fervare et exeqvi **)," qvæ tamen muneris adminiftratio jura majeftatica non minus offendit ***). Sunt qvi tali haud

*) Hocce loqvendi modo Auctor certe innuit novam Refcripto *Chriftiani Vti.* d. 14 April. 1688 præceptam rogationem legum Islandicarum, jam in Islandia fere ignotam.

**) *Arnefens islandske Rettergang*, 1762, p. 22 og 24.

***) Idem certe valere cenfemus refpectu illiciti ufus adumbratæ perfunctorie rogationis cujusdam legum, five earum novi codicis Islandici, ex juffu laudati Refcripti (fupra nota *) qvamqvam nec confummatæ, nec unqvam perluftratæ, nec deniqve regia munitæ fanc-

abſimilem abuſum Libri 2di codicis Norvegici illiqve ſane propinqvum aliqvatenus excuſare conentur Reſcripto d. 11 Maii 1708 jubente "Satrapam *Gyldenlöwe* ut normam præſcribere Islandis, Epiſcopi *Mag. Theodori Thorlacii* novam rogationem eccleſiaſticam *) de officio Sacerdotum ſedem parochialem ſartam tectamqve conſervandi, in poſterum probe ſervare, qvippe qvæ fundamentum agnoſce-

tione, qvem tamen viri delecti, *Arnas Magnæus Paullusqve Vidalinus* Ao. 1702 d. 15 Sept. Regi retulerunt inter qvosdam judicum Islandorum invaluiſſe. Brevi vero periere talis rogationis exſcripta et unacum his iſta ſpecies abuſus juſtitiæ.

*) Reſcripta duo d. 14 Apr. 1688 disqviſitionem Epiſcopis et Nomophylacibus Islandiæ mandavere cum Præpoſitorum peritiſſimis, "utrum codex legum Islandicus, qvatenus res reſpiceret eccleſiaſticas, ad tenorem codicis Norvegici commode poſſit conformari, ita tamen, ut ubinam Norvegici præcepta inſulæ minus conſulere viderentur commodis, *nova legum rogatio non ad hæc, ſed potius mores et conſvetudines Islandorum eſſet aptanda*, cum abſoluto tamen congruenter regis imperio.

ret antiqvius Satrapæ *Brostrupii* de *Gedde* hac de re *decretum* Anno 1596." Laudatum vero Rescriptum nullum Codicis Legum Norvegici in Islandia valoris habuisse respectum, sed decretum Broftrupii d. 1596 *) solummodo confirmasse, nemo non videt. Hoc enim statuit Pastores, sedes officiorum unacum eo pertinentibus, ut par est, sartas servare easqve reficere et colere negligentes, si ipsorum magistratus hujus rei bis terve eos frustra admonuerit, ab officio esse removendos, qvod ipsum decretum occasione præceptæ rogationis de re ecclesiastica parum immutatum suæ inseruit consultationi *Mag. Thorlacius*. Hunc igitur articulum rogationis legis ecclesiasticæ, utpote congruum cum Satrapæ decreto, non vero admodum diversis codicis Norvegici prœceptis 2—12—4, laudatum tantum corroboravit Rescriptum d. 1708, nil vero reliqvum rogationis *Thorlacianæ*, qvamqvam hic *cum novi codicis Islandici librum*, "*si modo insulæ nostræ foret conveniens*" ad tenorem Norvegici conformandum aliqvando

*) *Hist. Eccl. Isl.* T. III. p. 38.

perficeret; nec ullam auctoritatem illi concesserunt recentiora Regum Refcripta d. 1732, 1734 et 1760; Rogationem iftam perexiguum qvoqve in genere nactam fuiffe affenfum alibi memoriæ prodidimus *); Qvatuor enim recentiora edicta d. 29 Maii & 29 Jun. 1719, 12 Maii 1723 & 23 Maii 1728 Epifcopis et Nomophylacibus denuo injunxerunt novam rogationem Libri 2di de Religione et re ecclefiaftica concinnare, immo, primum horum prorfus ignorat, *utrum talis alicujus ex juffu Refcripti d. 1688 formandæ ufque inde factum fit periculum* **).

His itaqve rationibus fufficienter evictum arbitramur, nullum dari edictum regium ufum codicis legum Norvegici in Islandia aut in caufis civilibus aut criminalibus vel fcifcens, vel faltem concedens, qvamqvam leges Islandicæ nihil expreffe aut non fatis diftincte de talibus præceperint, fi modo perpaucas, ut fupra monuimus, fingularis tantum argumenti exceperimus caufas. Librum porro 2um Nor-

*) *Island i det attende Aarhundrede* 1808, *p.* 408-10.
**) *M. Ketilfens Samling af Forr.* T. III. p. 366-67.

vegici codicis, nec magis de jure ſive ex generalibus juris principiis, ſive in ſpecie præceptis Reſcr. d. 11 Maii 1708, ut *jus ſubſidiarium Islandiæ*, aut pro placito celeberrimi *Kongslewii (maaſkee for mere)*, ut *jus eccleſiaſticum* inſulæ poſſe conſiderari, recentiora tamerſi edicta d. 2 Maii 1732 & 19 Febr. 1734 expreſſis verbis acuto cuique diſceptatori qvævis dubia omnemque ſcrupulum non evulſerint.

Cæterum indicem legum, hodie, ut tradunt, in Islandia prævalentium, qvem typis vulgata exhibent ſyſtemata juris, nonnullas admittere poſſe mutationes, ſi vel varia evulgationum reſpexeris data temporis, in ſeqventibus apta ſatis dabitur monendi occaſio.

§. 5.

Compluria igitur Syſtemata juris, ſi non indubium aut integrum ſatis elènchum dederint legum Islandiam hodie obligantium, ſi qvoqve uſus harum practicus ibidem ſæpius perexigua ſubnitatur auctoritate, thema noſtrum, *quænam leges hodiernum jus conſtituant islandicum &c.* facile concedi ſperamus, gravioribus ſane juris problematibus eſſe an-

numerandum. Hujus enim recta resolutio docebit, *qvibusnam congruenter legibus unusqvisqve Islandorum et in specie Judices, aliiqve publicis præfecti muneribus vivere officiaqve gerere teneantur, qvasqve in poenis irrogandis jure sequantur leges, deo, Regi & patriæ rationem munerum curæ reddituri.* Unusqvisqve horum præterea, sine recta et completa hujus rei notitia, magno semper versatur periculo, sive jura majestatica violandi, absqve veniâ imperantis et propria auctoritate introducendo exercendoqve leges Islandiam non obligantes, sive hoc ipso jura civium. Multorum igitur qvæstionis hujus recta resolutio magni certe interest, cum publica, anteqvam munera auspicantur vel Islandicis præficiuntur tribunalibus, hucusqve sufficiens in jure speciatim Islandico desideretur institutio, qvare insulæ nostræ juventus academica hujus juris parum perita, in patriam sæpius revertitur. Ipsa qvoqve vulgata Systemata doctrinam *de jure Islandico* propemodum omnino prætermittunt, nec amplius qvid de Norvegico, cev regni jam exotici, docebitur jure, nec qvidqvam reperietur juris

Danici alicujus in Islandia auctoritatis, neqve multum huic provinciæ conveniens, fimodo formalia proceffus, qvatenus cum Norvegico congruunt, præceptaqve utriusque de homicidio, furto, caufis cambialibus et perpauca alia exceperis. Judex igitur qvisqvis Islandiæ five magiftratus, officiis muneris erga Regem et patriam pie fatisfacturus, etiam poft edita publica fpecimina laudabilis notitiæ juris naturæ, Danici, gentium et romano-germanici &c., anceps diu hærere cogitur et confilii expers qvo fe convertat anqvifiturus legem, qvonam jufto utatur titulo ad lites indubia auctoritate dirimendas; cujusve ex præfcripto omnes obvias decidat aut dirigat caufas. Qvæ cum ita fe habeant, urgente fatis neceffitate eo fe brevi redactum fentit, ut novum difficileqve ftudium juris Islandici, omnibus qvamqvam idoneis deftitutus adminiculis, proprio marte iterum inchoare teneatur.

Exploraturus itaqve prævie, qvænam huc fpectent leges et qvænam hic adhuc valeant, omnes indefeffo labore attentaqve cura perluftrare leges, edicta, refcripta, decreta, refponfa huic infulæ data ab Anno inde 1096

ad noſtra usqve tempora obligatur. His omnibus cum jure Norvegico & jam poſt annum 1814 Danico, qvatenus recentioribus edictis hoc jus vel illud aliqvam hic in ſpecialibus argumentis nactum fuerit auctoritatem, probe collatis, criticaqve adhibita disqviſitione, qvid adhuc valeat, qvid inſulæ commodis, qvid demum antiqviorum inſulæ legum analogiæ conveniat, diſcernere ſui eſſe agnoſcat officii, cavendo ſimul ne incertis, erroneis et fere inutilibus *juris Islandici* compendiis, veluti *Sölvianis*, neqve vagis illegitimi uſus practici præjudiciis inconſiderate confidens, cæculus exorbitet.

§. 6.

Critica tali uſurus Legum Islandicarum cenſurâ Juris Conſultus duobus ſtatim et qvidem *præcipuis*, etſi fere accidentalibus, juris islandici obluctari cogitur *vitiis*, qvorum unum, qvod Leges Islandicæ hodie jam pervalentes ſumma tantummodo difficultate ſunt indagandæ et â reliqvis diſcernendæ, cum legum Islandicarum aut integra aut fida collectio vix amplius ulla detur parabilis, qvod vitium

legibus jus *Danico-Norvegicum* constiutentibus non est commune. Alterum, qvod lingva sive dictio legum Islandicarum passim obscura valde et ambigua reperiatur, ingentem sane redolens antiqvitatem, nostro igitur ævo solis eruditioribus recte interpretabilis; qvod *vitium præcipuis*, et materialibus et formalibus cæteris juris Islandici venit annummerandum. Plura talium, juris nostri et varios defectus, et nostro ævo nostræqve insulæ ejusqve incolarum indoli, præsenti culturæ & usibus, minus convenientia præcepta, horum antinomiam, vaga principia, et analogiam difficulter sane aut omnino non conciliandam, et deniqve justo passim minorem æqvitatem, juxta jam generaliter agnita principia juris, duximus interea hic esse prætereunda, nonnulla tamen suo loco adferenda specimina, *realia hæc vitia* uberius probabunt, illustratis prævie duobus nuper allatis, qvæ magna ex parte accidentalia videntur.

§. 7.

Difficultatem leges indagandi, discernendiqve qvæ *jus* conficiant Islandicum, in

altera æqve inevitabili consistere monuimus, qvæ simul plurimis comperitur impossibilitati ferè contermina, completam nimirum sive integram et fide publica dignam, ne qvidem indigestam collectionem, sive pandectas legum Islandicarum, jam vix aut ne vix amplius parabilem, acqvirendi. Si vel perpauci & fere singulares Juris Consultorum molesto satis et longo labore, magnisqve sumtibus corpus tale juris aliqvatenus integrum demum comparaverint, exemplorum tamen nulla ratione probari potest fides, instar authenticæ, nec conseqventer legum auctoritas. Exstant enim hæc exemplaria solummodo aut privata exarata et collecta cura, aut plurima eadem edita auctoritate aut in ejusmodi versionibus, nec publicis unqvam firmata testimoniis, communiter vero manca, admodum discrepantia et vitiosa. Sic verbi gratiâ, exemplar fide dignum *Statuti* sive Constitutionis Episcopi *Gissuri Islevii de modo Decimationis Islandorum* d. 1096 difficillime aut ne vix parabitur ultra, cui tamen in articulis fundamentalibus invariatam servare auctoritatem vaga interlapsorum seculorum principia usqve inde vel

hunc in diem. Legimus qvidem laudatum *Statutum* particulatim infertum *Historiæ Ecclesiasticæ Islandiæ* Episcopi *Drs. Finni Johannæi**), integrum vero editioni *juris Ecclesiastici Thorlaco-Ketilliani*, lati Ao. 1123 c. 28 &c., cujus exemplorum tanta patet discrepantia, ut *Statutum* hoc occupet caput 36tum editionis **), qvam debemus operæ Consiliarii status et eqvitis aurati *G. J. Thorkelini*, cæterum 51 cap. continentem, dum *Dr. Finnus Johannæus* huic juri tantum 35 capita annumeret.

Fontem qvoqve suum laudat *Dr. Johannæus antiqvum* hoc *jus ecclesiasticum Thorlaco-Ketillianum*, cui soli hoc *Gissuri statutum* integrum, nos debere agnoscimus.

Primas enim Islandorum leges a *Bergthoro Rafni* Nomophylace collectas, emendatas literisqve mandatas esse Ao. 1117, et Anno dein 1118 promulgatas docent historiæ. Aut vero periit postea magna pars collectionis *Bergthorianæ*, si unicum fere hujus par-

---

*) Tom. I. p. 118—132.

**) Vulgatæ 1775.

tem, *Vígslódi* inscriptum exceperis, aut reliqva variis transformata mutationibus in antiqvum corpus juris Islandici *Grágás* dictum ita transiere, ut hoc jam contineantur leges *Ulfljoto - Bergthorianæ*, nonnihil tamen ad tenorem antiqvioris Norvegici Legum Codicis, etiam *Grágás* appellati, accommodatæ. *Gissuri* vero *Statutum* de *Decimatione* ex *Bergthoriana* collectione in laudatum *jus ecclesiasticum*, conscriptum Ao. 1122 et 1123 pro lege universaliter receptum, omnino integrum transmigrasse, cum ipsum Statutum authenticum, ejusve nullum fide dignius aut hoc jure antiqvius existat exemplum, nos agnoscere fatemur, idqve ut authenticum unacum jure hoc *Thorlaco - Ketilliano* ab universis Islandis denuo pro lege fuisse receptum. Dubitanda igitur tantummodo remanet exemplorum juris hujus ecclesiastici fides, qvamqvam ejus contenta *juri* postea *ecclesiastico Arnæano* cap. 14—15 nonnihil variata et aucta etiam inserta reperiamus *); Recentioris tametsi hu-

*) Illustrissimi *Thorkelini* operæ qvoqve debemus novam Editionem hujus Juris Ecclesiastici.

jus juris exemplorum fides æqve dubia videatur.

§. 8.

Proximum ejusdem rei documentorum occupat locum, Codex Legis Islandicæ *Jónsbók* dictus, promulgatus in conventu generali Islandorum et post magnas recusationes ibidem demum receptus Ao. 1281, hosqve adhuc magna ex parte lex imprimis obligans.

Codicem hunc lingvâ islandicâ, ceu originali, publicâ nunqvam, sed privatâ tantum auctoritate, magnâ licet incuriâ, et perperam editum, diu non amplius venalem aut parabilem fuisse, cum hujus ultima ante 109 annos apparuerit editio Ao. 1709, ejusqve versionem danicam infanda fere negligentia publicasse 1763, tunc Studiosum Theologiæ, postea præpositum honorarium *Egillum Thor-*

Havniæ 1777. — Legitur hoc etiam in *annal. Pontoppidani* T. I. p. 1746 latine redditum curâ *Arnæ Magnæi*, sub Titulo: *Jóns Kristinnréttur*; idem qvoqve titulus illi conservatur in editione *Thorkelliniana* 1777 introduct. pag. 3 & 4.

halli filium *), non eſt qvod tantopere doleamus, qvantopere difficultatem propemodum inſuperabilem exemplum ſaltem comparandi correctum, integrum et publica omnino fide dignum, hujus vetuſtate, æqvitate et per longam 538 annorum ſeriem auctoritate, magnâ ex parte adhuc vigentis, ideoqve maxime venerandi Legum Codicis.

Ipſas hujus Codicis editiones Islandicas ut magnopere vitioſas et variantes graviter arguit doctiſſimus *Paullus Vidalinus* **). Plurima qvoqve Codicis exempla tam membranacea qvam chartacea magnam produnt diſcrepantiam, nec ullius indubia facile diſcernenda eſt præexcellentia, cum codex authenticus ſine dubio aut deperditus ſit, aut vix amplius agnoſcendus.

---

*) Candide hoc demonſtravit celeberrimus Epiſcopus *Dr. Johannes Finnæus* annotamentis ad hanc verſionem Havniæ editis 1765, ſimul asſerens eam pluribus ſcatere vitiis qvam paginarum numero, qvi tamen excedit 500.

*) *Gloſſis* ejusdem philologicis in obſcuras qvasdam et antiqvas voces hujus Codicis.

Exiguam mereri fidem impressum codicem islandicum *Jonæ*, argumento primum probabimus satis authentico, allegando nimirum Constitutionem Regis *Christiani* 4ti Islandis transmissam, d. 29 Nov. 1622 ejusqve iterata præcepta alterâ d. 10 Dec. 1646 de *legitima oblatione* proximo Consangvineorum *praedia emendi* anteqvam venduntur extraneis, qvo Rex proclamat: "in Codicis Legis *Jónsbók* libro *Odalsbálk* (qvo certe ejusdem Legis *Landabrigdabálkur* innuitur) omissum perperam *dimidium* caput *) *de prædiis proximis consangvineis ex Legis præscripto offerendis, anteqvam venduntur*, desiderari, ideoqve severe præcipit §. 1. "anteqvam ullum vendatur prædium rusticum, hoc primum offerri proximis consangvineis, *prout*" edixit Rex, *recta jubet lex Islandica laudatumqve caput Libri Odelici uberius fertur præcepisse.*" Jam vero nihil tale in nostris reperitur typis vulgatis Codicibus sive proprie de oblatione prædiorum, sive eorum jure retractus, excepto tantum jure minorennis pro-

*) Immo integrum forte.

prium retrahendi fundum, si eo minorenne fuerit abalienatus, nullo habito respectu, utrum fuerit *Odelicus*, nec ne. Rex vero proclamat: *dimidium* (forte integrum) *Caput de jure retractus gentilitii desiderari*, qvod tamen ipsa lex Islandica præceperit."

Celebris qvondam antiqvarius jurisqve consultus *Paullus Vidalinus* glossa ejus in vocem *Odal*, se in unico tantum, qvem ipse possedit, codice membranaceo Legis *Jónsbók* longo certe post reformationem tempore exarato, ablatum hoc Caput legisse commemorat, idqve in omnibus Codicibus *Arnæ Magnæi*, qvorum multi insignem meruere fidem, desiderari; Exemplum igitur hujus ex codice *Vidalini* ipse exaravit; Annotat etiam *Vidalinus* hoc caput folio demum ultimo codicis fuisse additum, ita insignitum: "*hoc caput in Libri codicis Landabrigdab.* cap. 7. *desideratur.*" Choronomus vero *M. Ketilli* f. id fecit excudi *) pravum satis Codicem qvendam Havniensem secutus, postea, ut auguratur, libris Comitis de *Thott* annumeratum, ubi

*) Vide illius *Saml. af Forr.* T. 2. p. 341—342.

etiam folio ultimo, a textu seclusum Legis, prout *Vidalini* id exhibuerit, titulo tamen sic variante: "*caput Odelicum, quod Libri Landabrigdab. 1onm est,*" ubi qvoqve satis commode erat collocandum, præsertim in Codice, in argumentorum dispositione strictum parum curante ordinem systematicum, ut noster *Jónsbók* dictus, qvamqvam 8um vel 6tum caput magis convenienter efficeret.

Hunc fere locum ipsius textus, capitis nempe 8vi Libri *Landabrigdab.*, eidem assignat codex membranaceus, qvi noster est, insignem præ se ferens antiqvitatem & auctoritatem, in cæteris vero duobus membranaceis, qvos jam manu versamur, codicibus, bibliothecæ doctissimi Adjuncti et Dris. philosoph. *Hallgrimi Schevingii* propriis, prorsus desiderantur, ex qvatuor autem antiqvis chartaceis nostris duo tantum illud exhibent, textu qvamvis admodum variante, separatim ad calcem adjectum. Authenticæ tamen legis et primitivæ partem textus id confecisse minime dubitandum censemus, cum historia *Arnæ* Episcopi c. 28 ejus rei sufficiens afferat argumentum, referens hunc Episcopum inter

alias rationes Codicem *Jónsbók* ut legem agnoſcere, recuſandi, proprio ſuorumqve nomine, in comitiis generalibus, ubi prima vice 1281 publice promulgaretur, *eidem objeciſſe præceptum*, ex hoc jam deſiderato capite ſolummodo deſumtum: "*Ef ſá býdur ei frændum land, er ſelja vill, ad fyrir því megi þad kaup rjúfa.*" "Si vendendum non obtulerit "venditor fundum conſangvineis, emtionem "idcirco irritam facere licitum eſſe." Qvicunqve igitur codex membranaceus Legis *Jónsbók*, prout noſter, hoc deſideratum ipſi textui apte inſertum exhibet, perpaucas vero aut prorſus nullas ab anno inde 1280 datas emendationes legum ſive regias textui intermixtas conſtitutiones, nec præterea qvidqvam continet ex cap. 2. libri *Landsleigub.*, more vulgatarum legis editionum, neqve 24 c. libri *þjófabálks*, qvod danica codicis prava exhibet verſio, cum Rex *Haco* id demum Ao. 1314. Islandis legem juſſerit, ſtatuta *Vilhelmi* Cardinalis d. 1247 ſolummodo confirmando, verum plurima §§. 9 & 10 enumeranda criteria fide dignioris exemplaris hujus legis, certe

meretur ut reliqvis correctior & insignis antiqvitatis consideretur.

Suspicatur qvidem *Paullus Vidalinus* majores nostros *caput Odelicum*, ut audit, ex antiqvis statim exemplis Legum Codicis consulto exclusisse, cum jus Odelicum iis fuerit exosum, et tum et pluribus postea seculis *). Qvam *Vidalini* conjecturam, licet non probabilem tantum, verum etiam certam fere reddat laudatum argumentum, ex historia *Arnæ* Episcopi l. c. desumtum **), coram tribunalibus illa tamen nullius censenda est valoris, etiamsi qvadamtenus duobus Rescriptis d. 1622 & 1646 confirmata, cum nemo amplius authenticum caput desideratum producere aut ejus æqva fide digna probare qveat exempla. Exstant hæc qvidem permulta, plurima vero chartacea recentioris et recentissimi ævi curam et incuriam alternatim probantia, perpauca vero membranacea & bonæ auctoritatis. Qvis vero fide dignissimum amplius discernet? Pravum certe secutus est *M. Ketillij* (l. c. p. 19

*) Vide ipsius glossam in *Odal.*

**) Pag. 33—4 supra.

ſupra), omnino omittens clauſulam *pacto redemtionis fundorum* maximi momenti in omnibus melioris notæ exſcriptis adjectam: *"En "ef han rýſur eigi ſuo, þá er faſt þad kaup."* Si qvis, nempe, neglecto Capitis hujus præcepto, prædium vendiderit ſine oblatione protimiſeos proximo conſangvineorum, hic intra 12 menſes, de tali venditione certior factus, diſſenſum ſuum declarare, prædiumqve ſic illegitime venditum eodem pretio pactoqve venditionis redimere tenetur. *"Ni vero ita redimat* (ɔ: intra 12 menſium terminum, eodemqve pretio & pacto) *rata ſit prædii emtio."*

Exempla laudati Capitis *de redemtione fundorum*, editis hactenus Codicibus Legis *Jónsbók* cum prorſus deſint, non ineptum duximus ejus hic ſubjungere apographum, *prout* 8vum *Caput libri Landabrigdab. codicis noſtri membranacei* id exhibet, notatis variantibus duorum reliqvorum, qvæ poſſidemus in charta exarata, hic invicem diſtingvenda litteris A & B, Lectori ſi lubet, cum *Magni Ketillii* l. c. conferenda,

"*Ef madur vill selja jörd*[1]) *sína vid verdi*, þá skal bjóda med vottum nánustum frændum sínum fyrst ad kaupa eptir jöfnu verdi[2]), þeim þó, er[3]) fé hefir til. En ef Seljanda þykir þar[4]) ei gód skilavon, [þó ad til sé fé][5]), þá skal hinn fá vördslumann fyrir sig þann[6]), er skynsömum mönnum þykir gódur skuldunautur[7]). Nu býdur hann ei svo[8]) og selur ödrum, þá skal hinn segja á[9]) ósátt sína á nærstum 12 mánudum, er hann veit og hann má fyrir nockurra naudsynja sakir[10]), og taka þad land til sín fyrir jafna aura, sem

---

[1]) A. Land sitt. B. jörd sína selja.

[2]) A. þá skal hann bjóda med vottum — med jöfnu. — B. þá skal hann bjóda med vitnum hinum nánustu frændum ad kaupa.

[3]) A. sem hefir til.

[4]) A. þad ei.

[5]) A. deest [ ] inclusum.

[6]) A. þà skal hann fá borgunarmann. B. þá skal hann.

[7]) A. sem skynsömum. — B. Skilanautur.

[8]) A. ecki svo.

[9]) B. segja ósátt sína.

[10]) B. veit og má hann fyrir nockrar naudsynja sakir.

hinn keypti og med [1]) slíkum gjalddögum. Þvíad Lög rjúfa þad kaup. [*En ef hann rýfur eigi svo, þá er fast þad kaup*] [2]). Sama mál er, ef kona selur land undan lögrádanda sínum [3]). [En ef kaup rofnar] [4]), þá á sá, er keypti [5]), heimtu vid sinn sala [allra slíkra aura, sem hinn reiddi honum. og svo á hvörr vid sinn sala] [6]), ef ad lögum ser. En ef sá vill ei kaupa er bodid var, eda fær eigi vördslumann, ef skynsömum mönnum þykir þad þurfa [7]), edur hafi frændur hans eigi fé til ad kaupa, þá má hann ad frjálsu selja hvörjum

---

[1]) A. aura og hinn keypti med slíkum. — B. land ad sér.

[2]) A. en ef ei er sva giört, þá standur kaup þeirra, deest [ ] incl. *M. Ketill.* Exempl.

[3]) B. Sama er ef kona selur lönd lögrádanda sínum.

[4]) A. [ ] deest incl.

[5]) A. en sá er keypti á heimtu.

[6]) B. deest [ ] incl.

[7]) A. Nu vill sá ecki kaupa — edur fá vördslumenn og þykir þó skynsömum mönnum þess þurfa. B. eda fá vördslumann — þykir þess þurfa.

hann vill [1]), þvíad ſvo ſkal hvört kaup vera, ſem vottar eda vitni vita og bók mælir ei á móti [2]). [*á hér því einginn madur þeirra kaup ad rjúfa*] [3])."

id eſt:

"Si qvis prædium ſuum pretio vendere decreverit, jus protimiſeos proximis offerat conſangvineorum coram teſtibus, illi tamen ſoli, qvi eodem pretio emendo par ſit opibus. Sin vero venditor, etſi bona non deſint emtori, pretii tamen ſolutioni diffidat, hic talem procuret ſponſorem, qvem viri prudentes bonum cenſeant eſſe nomen. Si tali neglecta oblatione alii vendiderit, ille ante proxime elapſos 12 menſes hujus rei certior factus, conſangvineus modo neceſſitate qvadam non impediatur, diſſenſum talis venditionis indicans, æqvali pretio emtoris iisdemqve terminis ſolutionis prædium recuperet, lex enim eam

---

[1]) B. hvörjum er hann vill.

[2]) A. vottar, eda vitni bera um, þad ſem bók mælir ecki ímóti. B. ſem vottar vita og þar bók mælir ecki á móti.

[3]) A. á hér því einginn madur þad kaup ad rjúfa, ſem hér ſkilur. B. deeſt [ ] incl.

irritam reddit emtionem. Ni vero hocce redimat modo, emtio rata esto. Idem competit, si foemina sine legitimi tutoris consensu fundum abalienaverit. Irrita vero si reddatur emtio, venditor emtori qvicqvid hic illi solverit, et sic unusqvisqve venditor suo emtori restituere tenetur, modo legibus vivatur." "Ille si emere recuset, cui prædium fuerit oblatum, vel sponsorem non procuret, si prudentibus viris eo opus esse videatür, vel si ejus consangvinei non sint solvendo, cuinam placet exinde jure suo libere vendat. Qvævis enim emtio et venditio tales ratæ sunto, qvales testibus sunt pernotæ et legibus non adversantur. Nemo igitur talem irritam faciat emtionem."

Hinc concludere licebit *jus Odelicum* sive *retractus gentilitii* Codice Legum *Jónsbók* nusqvam tale fuisse præceptum, qvale sive antiqviore, sive recentiore jure Norvegico hoc in regno invaluit, et simul jus retractus desiderato hoc Capite improprie satis *Odelico* dicto, nihil fere cum *Odelico* jure Norvegorum habuisse commune, lege non jubente id solummodo competere fundi possessoribus

Odelici, verum etiam uniuscujusqve, nisi qvod ejus oblatio consangvineis in genere fuerit præcepta. Non enim statuendum, *jus Odelicum* Islandorum, qva tale, præscribi mensibus duodecim, cum *Landabrigdab.* Cap. 1um, decem saltem annorum spatium redemtioni fundi, etiam non *Odelici* reliqverit, si fuerit venditus possessore minorenne. Nihil prorsus de tempore possessionis aut majorum aut ultimi possessoris, nil de usucapione aut præscriptione viginti annorum, aut in specie *Odelico. jure* reperimus, sed contrarium prorsus; præcepta vero *Legis Gulathingensis*, ad cujus tamen nec non Codicis *Grágás*, qvæ nihil de jure odelico statuit, principia, Islandicus *Jónsbók* magna ex parte fuit conformatus, de *jure Odelico*, hoc ultimo codice omissa esse putamus, et legislatorem, rogatione Islandorum inductum, Legum Codice *Jónsbók* certitudini proprietatum et dominii magis qvam suspecto juri retractus gentilitii, qvali Norvegia tum fuit usa, prospexisse, terminum redemtionis sive retractus prædiorum generaliter circumscribendo arctissimis duodecem tantum mensium finibus, simulqve

familiarum conſervationi qvadantenus, qvoad æqvum noſtræqve inſulæ foret conveniens, jubendo jus protimiſeos uniuscujusqve fundi proximo conſangvineorum primum offerri, qvo, ſi placuerit, ſtatim uteretur, alioqvin id præſcripturus oblatum jus qvoqve retractus, 12 menſibus, ſi vel lege præcepta oblatio fuerit neglecta. Horum ſpecialia ſiſtunt documenta *Landabrigdab.* c. 6. ratam eſſe jubens emtionem fundi, ſine teſtibus et ſtipulatione manuali peractam poſt 12 menſes; nec non caput 8vum ſive deſideratum, ut jam docuimus, de fundis vel a foeminâ venditis vel ab aliis, ſive ſine, ſive obſervata oblatione protimiſeos, qvæ legis præcepta in uno eodemqve capite codicis *Jónsbók* primitus fuiſſe conjuncta, veriſimillimum eſt. Fundum uxoris, aut illi maritoqve communem, edictum licet *Erici* regis d. 1293 Islandis datum, marito absqve uxoris veniâ aut urgente neceſſitate, vendere interdixerit (cfr. *Qvennagipt.* 3. c.), nil tamen eâ lege fuit cautum de juris retractus præſcriptione, cum alterius qvoqve *Erici* regis edicti fragmentum, qvod editio 1709. codicis Islandici p. 455—458 exhibet,

jubens uxorem coram teſtibus diſſenſum ſuum talis venditionis intra 5 annos declarare, æqve incerti omnino ſit dati et auctoritatis, ac criterii, id Islandos aliqvando obligaſſe, et præterea codicis Norveg. *Chriſt. Vti* 5—3—31, 32 hac de re in Islandia nullus ſit valor. Terminum vero juris minorennis venditum retratrahendi fundum, etſi nunqvam fuerit odelicus, ad decem usqve annos, ex qvo majorennem contigit ætatem, Cap. 1, *Landabr.* protraxiſſe, dum ipſum jus retractus gentilitii hic alias unico tantum præſcriberetur anno, hujus codicis ſibimet minus conſtantem indicat analogiam juris.

§. 9.

Vulgatum autem Islandicum codicem legis *Jónsbók* admodum eſſe mancum et mutilatum compluria ejusdem tam membranacea, qvam chartacea probant exempla. Sufficiat hic pauca hujus rei afferre documenta, ne criticam tantum hujus editionum cenſuram hic ſiſtere videamur.

Sic in editionibus Islandicis integra deſiderantur capita, qvæ danica codicis, exigua

licet fide, depromit verſio, videlicet 12 cap. in libro *Kóngsêrfdir* inſcripto, nec non 28 & 29 Libri *Farmannalög* & 24 Cap. libri *Þjófabálkur*. Qvoad primum notandum tamen eſt, hoc nullum Islandiæ reſpectum habere, nec ideo ullius hic eſſe aut fuiſſe uſus, ceu partem qvandam aulici juris Norvegici conſtituens, neqve ideo codici *Jónsbók*, cujus optima id ignorant apographa, eſſe adſcribendum. Inſcriptionem præterea hujus libri incorrectam ſatis eſſe, cum editiones noſtræ tribus tantum primis ejus Capitibus tribuant titulum *Kriſtinndómsbálkur*, aſt reliqvis *Kóngserfdir*, dum pleriqve Codices membranacei priore titulo argumenta undecim capitum, in modum fontis, legis nimirum *Gulathingenſis*, complectantur. *Farmannalaga* 28 cap. de *Commodato*, exhibent qvidem nonnulli Codices etiam membranacei, qvorum optimorum id c. 24um efficit, dum qvidam inepte ſatis libro *Þjófabálk* c. 17 hoc inſerant, qvod vitium emendatura verſio danica in utroqve libro collocandum decrevit, eâ tamen discrepantiâ ut alius famulum aut nautam conducere, poſteriore loco dimidiæ tantum *Markæ*,

five 18 ulnarum, priore vero integræ *Markæ* five 36 ulnarum conftet difpendio *).

*) *Mörk filfurs vegin* in commerciis et præftationibus civilibus communiter æqvivalet 48 *Oris (aura) numeratis*, qvævis *ora (Eyrir)* — 6 *ulnis*, *ulna* vero *(alin)* — 2 *pifcibus (fifka)*, & 1 *pifcis (fifkur)* = 2 *libris pifcis arefacti*. *Mörk* autem *filfurs numerata*, five tantum *non ponderata*, æqvivalebat *Mörk Lögaura*, & qvævis talis = 8 *oris* five 48 *ulnis* = 96 *pifcibus*, five *duobus argenti nummis uncialibus*. Hinc *Mörk Lögaura* communiter æqvivalere cenfetur 2 *imperialibus*, verum computo mulctarum Codicis *Jónsbók*, qvœvis *Marca* eft *uncia una*, *unaqve ortuga ponderati argenti*, cum *Mörk talin* five: *lögaura*, qvâvis Marcâ mulctarum legali femper fubintelligatur. *Mörk* enim *talin* = eft 48 ulnis; uncia vero qvævis argenti five *ora ponderata*, juxta *Jónsb. Kaupab*. 5. *c*. = 36 ulnis, adeoqve *Mörk mulctarum* expenditur 1 *ora* & 1 *ortuga* f. $1\frac{1}{3}$ *nummi uncialis*; qvem etiam computum mulctarum adulterii, ex norma *Magnæ Sententiæ (Stóradóms)* dictæ Refcr. 25 Julii 1808, §. 11 & 12 corroboravit. Ufus & commercia feqventium feculorum edictum regium d. 6 Maii 1684 et tandem alterum d. 10 April 1702, pretio nummorum et argenti ita derogavere, ut *uncia argenti* five imperialis inde usqve communiter 5

Ignorant prorſus optimi codices membranacei *Farmannal.* c. 29, de *valore nummorum*, *menſura* & *pondere*, qvod tamen nonnulli chartaceorum, nec non infida verſio danica exhibent. Hujus ſane æſtimatio antiqvæ monetæ computationi aperte aduerſatur, dum ſtatuit tres *nummos* (*Peníngar*) *numero* æqvivalere *uni ponderato*. Codex enim *Jónsbók Kaupab.* 5 c. *computat* 1 *oram* (*Eyrir*) *pondere*, ſive 1 *unciam argenti deſecati*, æqvivalere 6 *oris numeratis* aut *mercium*, qvi computus antiqvus eſt generalis, legis qvoqve Islandicæ ſpeciatim, ideoqve lectio: "3 *nummos* (*penínga*) *numero æqvivalere* 1 *pondere*" nullo pacto ſalvanda nec cum ſeqventibus: "20 *penîngar vegnir vid* 1 *ortug og* 3 *ortug vid* 1 *eyrir*" eſt concilianda. *Oram* (*Eyrir*) enim, ſive *unciam argenti defecati* 6 *oris numeratis*, ſive mercium, et 1 *oram* harum ſive *numero* = 6 *ulnis* æqvivalere jubet *Jónsb. Kaupab.* 5 c. *Ortuga* vero = 2

---

tantum, in computatione vero mulctarum 6 æqvivaleat *oris*, congruenter cum *Kaupab.* 5 & Þiófab. 23 c.

ulnis, 1 *ulna* = 10 *nummis* secundum *Farm. l.* 29 *).

Idem de valore *Eyrir* et *penínga* docet codex Legum *Grágás* titulo: *um silfurgáng*: "I þann tíma, er Kristni kom ut híngad til "Islands (Ao. 1000), géck hér silfur í allar "stórskuldir; *bleikt silfur* og skyldi halda scör, "og *vera meiri luti silfurs* og sva slegit, ad 60 "Peníngar gerdi eyrir veginn, og var þá allt "eitt talid og vegid." Ibidem *Landsleigub.* f. *Búaþátt.* c. 3. "Brennt silfur er enn, oc er

---

*) *Ortugam* æqvivaluisse *duobus ulnis*, *Paullus Vidalinus* demonstravit glossis in voces *Mörk*, *eyrir*, *ortug*. Qvod tamen cum Cancellarii *Bielkii* parum accuratâ interpretatione: "*ortugam esse*" "*to Hvide danske, men en gammel Ortug halvanden skilling.*" — minime convenit. Cæterum antiqva argenti æstimatio legalis jure islandico, nec cum antiqvâ juris danici, uti docuit, *Andr. Sunonis* V. 23, multaqve nuper eruditione illustrissimus Dr. & Professor juris *Rosenvinge* disputatione sua inaugurali *de juramento consacramentalium*, neqve omnino cum antiqvâ juris *Norvegici* erit conciliandâ, qvod *variabili argenti valori* diversis temporis periodis est adscribendum.

"eyririnn ad mörk lögaura; enda *lögſilfur* "þad, er meiri lutur ſé ſilfurs enn meſſingar "oc þoli ſkör, og ſé jamnt utan ſem innan." Jubet qvoqve jus ecclefiaſticum *Arnæanum* unumqvemqve ſolvere tributum *Romanum* c. 31 "*einn peníng taldann, edur þad annad, ſem fyrir* 10 *menn gjaldi álnarvyrdi,*" decem ideoqve *nummi uni* æqvivaluere *ulnæ*, et ex præcepto *Jónsb.Kaupab.* 5 qvilibet (*peníngur*) *nummulus pondère*, eâdem ratione *numerato*, ſive *nummus argenti*, *nummo mercium* recte comparatur, qvâ 6: 1.

Deniqve probe notandum eſt, qvod *ora* etiam *argenti*, ſi non expreſſe legibus addatur: *ponderati*, *defecati* aut: *hvítt í ſeör*, ſ. in fracturis *albi*, conſideretur monetam minutam, ordinarie in uſu verſatam denotare, ſive argentum commune, ſupra deſcriptum codice *Grágás* — "*bleikt ſilfur*" continens "*meiri luta ſilfurs*" ɔ: *fractum colore pallido*, majore ex parte argentum continens, cujus 1 *ora* ſaltem 25 *ulnis* æqvivalebat *numeratis* ſive *mercium*, *albi* vero 36.

Deſideratum Caput 24 Libri *Þjófabálks* qvod demum attingit, contenta hujus Juris

ecclefiaftici *Arnæani* capita 27 — 28 ab anno inde 1275 dudum occupavere; qvod vero rex *Haco Magni Lagabœtirsf.* huic capiti ut memoratum p. 29, vim legis in Islandia demum die 14 Junii 1314 dederit, docet regem valorem juris hujus ecclefiaftici ne qvidem tum agnoviffe, de qvo, vel noftris temporibus multum fuit difceptatum. Caftiganda fimul eft inepta valde collocatio *ftatuti* Cardinalis *Vilhelmi* d. 1247, *de operis diebus feftis*, triginta qvatuor annis poft promulgatum codicem legis *Jónsbók* primum confirmati, in ipfum codicem, ejusqve librum *Þjófabálk*, cui, de furtis folummodo jubere leges, fuiffet proprium.

§. 10.

Præter defectum integrorum capitum, ipfæ variantes editionum pluresqve exemplorum ad eas annotaræ lectiones abunde teftantur incertitudinem textus hujus legum Codicis, norma licet fit vivendi fubditis et in fpecie officia gerendi præfectis muneribus; verum pauciffimæ harum funt annotatæ, neqve cum optimis collatæ codicibus. Sic verbi

gratiâ libro *Mannhelgisb.* c. 2. bis legimus *Arfborinn*, perperam ſubſtitutum pro *Arborinn*, hoc enim denotát virum *majorennem*, cui qvævis civilia competunt jura, qvæ unicuiqve *arfbornum* ſive *legitimo hæredi*, pupillo minorenni, aut curæ tutelari ſubjecto minime tribuuntur, prouti ipſa lex hanc vocem ibidem explicat. Eodem Capite textum valde corruptum deprehendimus in codicibus impreſſis, ubi legimus: *"ſo og fyrir mord og fordædu og forneſkjuſkap"* pro: *"og ſvo fyrir mord og fordæduſkap"* qvam poſteriorem conſonam et certe correctiorem offerunt, ſeptem qvos jam manu verſamur, codices, qvorum tres membranacei reliqvorum vero additamentum *"og forneſkjuſkap"* ſpurium eſt. — Libri *Landsleigb.* caput 2, codicum impreſſorum, membranaceis omnino deeſt, ſecundum vero horum facit tertium illorum caput, eâ qvidem ratione, qvod qvamqvam in authentico non fuerit codice ſecundum, qvod jam in vulgaribus legimus Caput, additum poſtea comperimus, rege *Erico Magni* f. Ao. 1293 jubente, ex Norvegico in Islandicum id tranſponi codicem; Legis *Gulathingenſis* igitur *Landslei-*

gub. integrum Cap. VII. jam in hoc habemus, tanta traductum incuriâ tantoqve defectu judicii, ut textum non tam interpolatum, qvam admodum depravatum ubivis fere probaverit ejus cum ipsâ lege *Gulathingensi* collatio. Tali tamen absurdo satis additamento, codicis nostri juris analogiæ et ipsi Islandiæ naturæ maxime contrario, et jurisprudentiæ et incolis male fuit consultum.

Laudatum enim *Legis Gulathingensis* locum: "En ef madur giörir *Kaldakol* á jördu manns, þâ er þad, er hann fer af jördu *fyrir nóttina helgu*, svo ad eingi madur er eptir á, þá á Landsdrottinn allt þad, er eptir er á og gjaldi honum á ofan *mörk silfurs*," jam in vulgato codice *Jónsbók* c. 2. legimus ita depravatum: "Ef madur giörir *Kaldakol* á jördu manns, þá er þad, ef hann fer af henni *fyrir nóttina helgu*, svo ad eingi madur er eptir, þá á Landsdrottinn þad allt; sem eptir er *fémœti*, nema *qvikfé* (búfé nonnullis codicibus mscrs.) *og gjaldi honum á ofan XII. aura* (*loco markæ* sive *octo Orarum lege Gulathingensi*) *og svari fyrir bodburd og förumanna flutning*, *ef fellur*." Cujus additamenti aut

mutationis nulla usqvam probabitur auctoritas, ut taceam antinomiam inde enatam inter hic præcepta de poenâ prædia intempestive relinqventium, sive ante noctem sanctam v. christi natalem, sive ante ordinarium terminum migrationis (*fardaga*) codice *Jónsbók Landsleigub.* 4 & 8 Capp. ad calendas Junii fixum, et allegatam constitutionem *Erici* regis capite hujus libri 9, qvæ nusqvam talis reperietur, nec alia hac de re, si supra laudatam exceperis d. 1293, jubentem tantum "præcepta juris norvegici de locatione præ-"diorum regiorum in nostrum referri codicem" cujus loco, nostris contrarium legibus et incolis inconvenientissimum indirecte introducere migrationis terminum, et alia æqve incommoda nostrates inconsulte sunt aggressi. Legis qvidem *Gulathingensis* capita 7 & 8 *ante sanctam noctem* prædium derelinqventi poenam juste sunt comminata, cum capite 8vo. ibidem primus post epiphaniam dies profestus, primus qvoqve migrationi esset præscriptus, nobis autem in *Islandia* calendæ *Junii*, jam ex *Landsleigub.* Capitis 2 codicis *Jónsbók* præceptis ea seqvitur anomalia, vel,

eum nulla plectendum esse poena, qvi *post festum natale Christi* proedium conductum dereliqverit, nullo amplius habito respectu ad legitimum migrationis terminum *Calendis primum Junii*, cum laudata constitutio Cap. 9, omnino spuria censeatur.

Ineptum æqve et cum natura, juribus et statu Islandorum prorsus incongruum videtur præceptum Capitis 2di, "*þá skal því framar telja til leiddngurs og landvarnar, sem leigan er meiri*," cum antiqvis privilegiis et primo subjectionis pacto, tunc temporis, prout exinde hunc usqve in diem, ratione habita, angustæ admodum eorum conditionis tali erogatione tributorum militarium nostrates fuerint exemti, nec jussu regis *Erici* aliud intendebantur, *qvam abusum juris prædia collocandi regia abolendi*.

Caput igitur secundum vulgati codicis ut improprium valde et inconveniens exigui censetur usus, qvâ qvoqve ratione ex omnibus bonæ indolis codicibus membranaceis, prout oportet, exclusum est, cum laudati præcepti *Erici* Regis d. 1293 contenta, qvatenus nostræ convenirent insulæ, de re-

giorum collocatione prædiorum inter edicta regia folummodo erant referenda, integrum vero Caput VII libri *Landsleigub. Legis Gulathingenfis*, fine ulla ad leges et ftatum Islandiæ conformatione fatis improprium et qvidem admodum depravatum ipfi codici *Jónsbók*, tantam ibidem anomaliam legum procreaturum, neqvaqvam fuit inferendum.

Initium Capitis hujus 2di, codices melioris notæ membranacei, ut nofter, plurimi tale exhibent: *"Med handföhm fkal jardir byggja og vottum og fvo i borgun gánga. Nú fkal madur húfum uppihalda &c."* Primum præceptum Regis *Erici* nititur edicto dato etiam Ao. 1293, qvod tamen codices evulgati magis incommode Capiti 23 Libri *Kaupab.* interpolant.

Capite 27 Libri, *Farmannalög* infcripti, codices impreffi permittunt nautis lapides cæfpitemqve ad navem circummuniendam alius in fundo eruere, ubi nec agro nec pratis qvid damni eo opere afferatur, qvod *fundi poffeffori jubent refarciendum.* Codices vero fide digni hunc tamen locum ita exhibent: *"Riett er ad menn fefti fkip fitt med torfi og vinni þad*

á landi hins þar, er hvörki spilli akri né eingi og vinni hinum eingann skada í því, er þá jörd á." J. e.: "Navem cæspite circummuniendi jus competit (nautis) alius tamen fundo ibi eruendo, ubi nec agro nec prato, nec deniqve proprietario fundi qvid damni eo opere inferatur."

Sufficiant hæc pauca ex innumeris nos protulisse exempla, in argumentum infidæ nimium vulgationis codicis Islandici *Jónsbók*, ejusqve exemplorum disparilitatis, qvæ inter *præcipua juris islandici vitia* merito referenda duximus. Ne vero Lectores prolixo graviorum multo errorum, vitiorumqve danicæ hujus Codicis versionis elencho perterreamus, tali conficiendo omnino super sedemus, uberioris præcipuorum notitiæ avidos ablegando, ad exactiorem danicæ versionis censuram, curâ doctissimi Episcopi & *Dris Johannis Finnæi*, Ephemeridibus literariis Havniensibus Ao. 1765 No. 18 & 30 (cfr. notulam p. 25) insertam, sincere dissvadentes qvemlibet hujus versionis usum, sine accurata cum codicibus majore dignis fide Islandicis comparatione, ne illius vitia alias forte clam irrepsura, doctos

antiqviorum legum commentarios maculis afpergant.

§. 11.

Difficultatem propemodum infuperabilem comperitur Jurisconfultus, Pandectas legum Islandicarum conqvifiturus, ceu judicibus ex Refcripto d. 19 Febr. 1734 officiorum normam, codice Norvegico *Chriftiani Vti* præferendam, antiqviores regum Islandis datas emendationes legum (*Réttarbœtur*), nec non recentiores Conftitutiones, f. edicta, refcripta, decreta, ftatuta &c. indagandi, horumqve dein fide digna comparandi exempla.

Ipfa enim Præfatio Codicis *Jónsbók* hunc varias *Magni* Regis Lagabætirs emendationes legum Ao. 1280 jam tum in Islandiam fuiffe concomitatas indicat. De harum autem fide & integritate eadem tamen moventur dubia ac de ipfius Codicis qvorum §. 8 — 10 nonnulla exhibuimus documenta. Nec invicem membranacei neqve cum vulgatis bene concordant Codices, five numero additarum emendationum, five harum argumentorum aut dictionis refpectu, qvod etiam commune repperimus

recentioribus regum edictis. Regis *Erici Magni* f. Ao. 1293 Islandis datum, *Arngrimus Jonæ* ad annum refert 1295 *). Varia Codicis *Jónsbók* præcepta prout Ao. 1281, aversati nostrates, Nomophylacem suum *Thorlacum Narvii* f. delegavere hæc uberius coram Rege demonstraturum, ejusdemqve reportaturum decreta, qvæ varia idcirco *Islandis* transmissa fuerunt Annis speciatim 1293, 1306—1308 & 1310 **). Verum illorum et datorum et argumentorum nec non textus integritas fidesqve æqve sunt dubia ac ubinam nunc reperiantur. Qvædam qvidem *Dr. Finnus Johannæus* l. c. edidit ***), verum a vulgatis calci codicis *Jónsbók* adjectis passim variantia, qvorum tamen Uni v. gr. T. I. p. 414 Litr. E. Codicis *Jónsbók* exemplum certe videtur præferendum (vide qvoqve *Hist. Ecclesiast.* p. 417—423) etsi exemplum lau-

*) Cfr. Crymogeæ Libr. 3 et *Torfæi* Hist. Norv. p. 4.

**) *Hist. Ecclesf. Isl.* T. I. p. 403 §. 5.

***) *Hist. Ecclesf. Isl.*, præcipue rem ecclesiast. spectantia.

det, qvod fecit exarari, *Dr. Johannæus*, codicem membranaceum No. 138 in 4to inter manuſcripta *Legati Magnæani*; vitioſum vero apparet v. gr. ubi dicitur: "*Gëymi menn ad þyrmſlum ſinum verdi lyſt, ádur ſamgángur hjóna verdur í millum.*" *Jónsbók* contra, edit. 1709, hoc Regis *Erici* edictum datum, ut videtur Norvegis 1290, verum poſtea forte *Islandis* transmiſſum, p. 459 rectius ita exhibet: "*Geymi menn ad þrim ſinnum verdi lyſt ádur ſamgángur verdur &c,*" et qvidem cum juris eccleſiaſtici *Arnæani* Cap. 16 omnino congruenter. Miramur vero voces "*þyrmſlum ſinum*" a *Dre F. Johannæo* per *facultatem moralem* (matrimonium contrahendi) hic eſſe translatas, cum vocabulum *þyrmſli* proprie denotet "*lenitatem,*" â verbo eg *þyrmi parco*. Idem qvoqve de plurimis antiqvioribus immo recentioribus edictis fatendum, qvorum integritas et fides publica jam amplius difficillime erit probanda, cum illorum tantum incerta exiſtant perfunctorie plerumqve exarata ideoqve valde diſcrepantia exempla, diſperſa præterea et per diverſos terrarum angulos et inter opera majorum aut

impressa aut manuscripta, in Bibliothecis præsertim Havniensibus abscondita.

Qvædam, imprimis ecclesiastica regum edicta Historiæ ecclesiasticæ Islandiæ usqve ad annum 1740 inserta esse commemoravimus; nonnulla etiam *Torfæi* Historiæ Norv. ad unionem usqve Calmaricam, plurima vero exhibet *Magni Ketilii* collectio titulo: *Kongelige Forordninger og Aabne Breve for Island* insignita, ab Anno inde 1450—1730*), non tamen defectum omnium reliqvorum post latam Anno 1280 Islandis legem *Jónsbók*, præter paucissima impressi codicis jam calci adjecta, ad annum usqve 1450, nec inde ad 1730 suppletura, neqve exemplorum qvæ secuta est hæc Collectio facile salvanda erit sive integritas, sive publica fides. Præfationibus enim omnium fasciculorum ipse dolet editor, complura collectioni deesse etiam gravioris momenti edicta, seqve privata tantum, et vix mediocria seqvi coactum fuisse eorum collectanea, immo exempla actorum

*) Tomis 3, *Hrappseyæ* 1776 og 1778 et *Havniæ* 1787.

generalis f. superioris judicii Islandiæ, qvæ regia exhiberent edicta publica auctoritate, in qvibus hæc ab initio Ai. inde 1638 ideo essent qværenda. cum ipsis edictis non bene congruere. Ut taceam et *M. Ketillii* et plurimarum collectionum ingentem inopiam legum emendationum f. *Réttarbóta* ab anno inde 1460 usqve ad 1537, earumqve lacunas, præsertim inter annum 1527 et 1537. Ubinam deniqve recenciora omnia qværenda sunt edicta, rescripta decreta &c. regia, ab anno inde 1730, qvo explicita est *Ketilliana* collectio, ad annum usqve 1818, data nimirum Islandis 88 annis proxime elapsis? Singula eqvidem reperientur, etsi perpauca in collectione edictorum Danico-Norvegicorum. Rescripta nonnulla et decreta, præsertim per collegium regiæ Cancellariæ Danicæ emanata, in epitome eorundem *Fogtmanniana*. In celeberrimi vero *Schovii* chronologica edictorum, juris Consultus Islandus interdum ultra titulum vix aliqvid expectabit, nescius præceptorum, vel ubinam eadem qværat, qvamdiu integram sumtuosam satis edictorum publicam editionem acqvirere ultra vires com-

periat, interdum qvoqve ſingulorum tantum compendio articulorum contentus eſſe jubetur, v. gr. edictorum magnæ ſatis adhuc auctoritatis d. 15 Maii 1705, duorum d. 29 Maii 1744, trium d. 27 Maii 1746, duorum d. 3 Junii e. a., duorum d. 15 April. 1776, edict. d. 19 Febr. 1783 *de vagis hominibus*, 24 Julii 1789, *de ædium parochalium et templorum traditione et inſpectione oculari*, et ſic p. hæc licet omnia maximi ſint momenti, ceu leges adhuc pleni vigoris.

Edicta itaqve islandica indagaturus, præter laudata opera et Hiſtoriam *Chriſtiani IIIii* cum Supplemento, cujus T. IIo. nonnulla inſerta reperiuntur, Actorum judicii Islandiæ ſuperioris integram continuamqve collectionem, jam amplius non parabilem ab anno inde 1637, poſtqvam regium edictum d. 27 Maii 1638 juſſit illa in album hujus referri, ad transmutationem hujus judicii Ao. 1800, in ſupremum intra Islandiæ fines inſtitutum tribunal, hujus vero dein album æqve ſollicito perluſtrare tenetur ſtudio, non ſolum qværendæ ergo informationis, qvænam regia edicta, reſcripta, decreta &c. hanc in inſulam

emanaverint, verum etiam qvænam iſtorum coram his tribunalibus, ceu leges proclamata, et Islandiam aliqvo reſpectu obligantia, poſſint conſiderari. Permulta nihilominus in Albis tribunalium islandica deſiderantur edicta, nec non plurima res reſpicientia eccleſiaſticas, qvorum ultimorum cauſa eundem in finem Epiſcoporum *Synodalia* â tempore inde islandicæ Reformationis Ao. 1550 ad noſtra usqve tempora ſunt inſpicienda. Continent qvidem hæc *Synodalia* Epiſcoporum præcipue *monita* ad *clerum*, unacum nonnullis eorum decretis in levioribus cauſis eccleſiaſticis, primo præſertim poſt Reformationem ſeculo, deſtituta licet vi obligandi, niſi qvatenus vigentibus innituntur legibus, aut rationem officii gerendi ſubordinatorum, ſæpius attingunt. Regiorum igitur proclamatio edictorum ante annum 1650, ibidem raro occurrit, ſæpius vero deinde, recentiſſimis præſertim temporibus, albo clericorum *Synodi* inſerta ſunt edicta, res ſpecialiter eccleſiaſticas reſpicientia, qvorum notitia Juris Conſulto æqve gravis eſſe momenti exiſtimatur, ut clerum exinde obligantium. Per multa tamen edicta, reſcripta,

decreta &c. regum, contra generale principium juris: *"legi non promulgatæ nullam obligandi competere vim,"* hancqve fæpiffime a qvo tamen fingulariffima concedenda videtur exceptio *). cum promulgatione ejusdem exoriri, et antiqvioribus et recentiffimis temporibus huic coram fuperioribus Islandiæ tribunalibus fubducta funt, qva re incolæ eadem feqvi, aut juxta eorum normam caufas dijudicari jufte recufare cenfentur **).

*) Cfr. illuftriffimi *Dris Örftedii* hujus argumenti disqvitionem *Juridisk Archiv* No. 27 et 28 p. 257 &c. et *Nyt juridisk Archiv* No. 5 p. 195 &c.

**) Edicta collectione *M. Ketillii* comprehenfa vel folummodo ab anno inde 1650 cum eorum elencho juxta acta fuperioris judicii, usqve ad annum 1730, qvo explicita eft *Ketilliana*, fi conferamus, horum albo multo pauciora reperiemus inferta, cum idem poftea contigerit v. gr. Edict. d. 1 Sept. 1786 de defraudatione decimarum in Islandia, poft 14 annos demum ibidem promulgatum Ao. 18.9, coram regio, in Islandia fuperiore tribunali, qvod ipfum præterea adhuc juridice ignorat duo decreta regia d. 1816 & 1817, *jus venationis in Islandia* exactius definientia, mulctasqve pro ejusdem

Respectu autem talium Actorum notandum:

1º. Actorum judicii superioris qvorum pars major typis dein vulgata est, fide dignas integras et continuas Collectiones, neqvidem post eis impertitam auctoritatem legalem 1638, qvam nonnulli æqvam fere illis immerito tribuunt, a prima inde Constitutione Scribæ horum judiciorum, Rescripto d. 9 Maii 1593, qvod tamen illi solummodo sententias eorum edere injunxit, nec amplius esse parabiles, nec forte tribus plures talibus in

abusu expendendas; decretum qvoqve d. 12 Febr. 1816, de Islandorum navium ad piscationem in pelagus expeditarum; Rescriptum porro d. 21 Maii 1817, de præstatione a famulitio solvenda, pro operâ diurna Pastoribus, dimidiaqve candelarum pensione templis; etsi sententiæ judicum de talibus causis ad hoc tribunal provocarentur, nihilominus hæc juridice ignorantur edicta, qvod etiam valet de permultis aliis. Qvæ omnia juris islandici studium admodum difficile, *magnumqve* simul ejus *juris* efficiunt *vitium*.

totâ hac insula jam existere, neqve forsan tribus plures, prouti suspicamur Havniæ *).

29. Pauciora, edictorum coram judiciis islandicis promulgatorum, ullum hujus insulæ habere respectum nec alius tribunalibus esse usus, qvam qvod judices in casibus obviis de præceptis principiisqve juris reddantur certiores, ibi tantum locorum applicandis, ubi valeant (cfr. infra VIII. §. 20) **).

*) Collectiones istæ summam prodentes integritatem incipiunt Ao. 1631, antiqviores enim fragmentis tantum consistunt sententiarum et compendiorum, vel paucis, vel omnino nullis intersperfis edictis, neqve publico munitis testimonio Scribæ judicii, donec Rescr. d. 27 Maii 1738 huic injunxit promulgata etiam edicta his actis inserere, qvod antea rarius observatum, qvocirca hæc acta post annum 1638 majorem merentur fidem.

**) Talia sunt v. gr. Ed. d. 5 Jul. 1793 de Politia s. disciplina publica Havniensi. Plac. 13 Dec. e. a. de divisione bonorum s. familia hercifcundâ in Dania. Ed. 13 Jan. 1793, de tributo ex certis bonis relictis, pro revisione actorum divisionis, qvod, decretum Cancellariæ regiæ Danicæ d. 1 Oct. 1805 in Islandia

39. *Acta Synodalia Islandiæ* nunqvam typis sunt edita, ideoqve in solo tabulario episcopali, reperiuntur authentica, nec magni habentur juridici usus, nisi qvod promulgationem nonnullorum edictorum, decretorumve coram clero, eumqve aut res ecclesiasticas respicientia, attestentur.

Hinc seqvitur difficultatem, cui obluctari tenetur jurisconsultus islandus, indubiam juris hodierni islandici acqvisiturus notitiam, impossibilitati fere conterminam esse. Nec verendum est nobis, ne absurditatis juste accusemur, conjectando perpaucos etiam longe celeberrimorum Daniæ Jurisconsultorum, vel

---

nullius esse valoris declarat. Prodivit edictum d. 5 Jan. 1813, in Islandia illico promulgatum, non tamen Islandis id fuisse legem, et decreta tribunalium magistratusqve et subseqvens postea speciale edictum d. 20 Mart. 1815 asserte testantur. Programma d. 25 Jul. 1817 *de arte aurificum*, etiam decreto ejusdem Cancellariæ d. 12 Maii 1818 in Islandia irritum declaratum, etsi hic promulgatum. Reliqvorum vero numerum legionis forte excedere conjectamus.

ipforum judicium fummi regni tribunalis, qvod tamen caufas islandicas invariabili dijudicat fententia, et integri juris islandici corporis, Pandectarumqve fide dignorum edictorum hanc infulam obligantium poffeffione, et integri talis jam admodum rari cariqve literarii apparatus, qvi horum qvalemcunqve fuppeditet notitiam, jam amplius poffe gloriari.

§. 12.

Qvicunqve demum longo difficiliqve labore eo fe putat proceffiffe, acqvifita juris islandici qvâ potuit fide digniffima, integerrimaqve collectione, ut audeat decernere, qvænam hodie Islandos certe obligent leges, qvæ vero non, nova has ad facta applicaturus, infuper vexatur moleftiâ, rectum earum obfcuræ paffim lingvæ fenfum, principia, rationes, finem, et analogiam eruendi. Si vel nonnulla in Codicibus Legum *Chriftiani Vti* adhuc occurrant vocabula, obfcuram qvoqve antiqvitatem nonnihil redolentia, non eft qvod miremur lingvam legum islandicarum feculorum 11ti, 12ti, 13ti, ex multo vetuftioribus mutuatam, veluti *Ulfliotî*, latis Ao. 928, Norvegicisqve vetuftiffimis, olim ad ge-

nium, mores, vivendiqve rationes venerandæ antiqvitatis conformatarum nobis jam seculo XIX esse passim obscuriorem, ideoqve difficulter indagari nec non conciliari earum cum indole remotissimorum seculorum qvondam satis congrua, jam vero repudiata principia. Obscuriora igitur vocabula interpretaturus, historiarum patriæ ductu ad ipsos fontes, *jura* nimirum *Islandiæ ecclesiastica*, codicem legum *Grágás*, leges *Gulathingenses*, *Járnsídu*, nec non *antiqvioris* immo præterea *antiqvissima* regum *edicta*, recurrere tenetur, cum illi præsertim permulta deveniant obscura, cui lingva legum Norvegico-Islandicarum non est amplius vernacula. Confitendum vero dictionem *statuti Gissuri* de *Decimatione* d. Ao. 1096, nec non *juris ecclesiastici Arnæani* d. 1275, etsi latarum Islandis legum, illud imprimis longe ante codicem *Jónsbók* d. Ao. 1280, lingva codicis *Jónsbók* perceptu esse faciliorem cum hæc ex *Ulflioti* legibus et codice *Grágás* antiqvas passim juris formulas dicendiqve genus ex laudatis legibus vetustissimis mutuaverit. Celebris igitur antiqvarius jurisqve Consultus *Paullus Vidalinus* nonnul-

las in qvædam obſoleta & obſcura juris islandici vocabula, parum tamen juridicas, maxima vero ex parte philologicas conſcribere gloſſas neceſſe duxit, vel integrum ante ſeculum, qvo jam dein elapſo plura adhuc codicis *Jónsbók* in deſvetudinem abiere, obſoletis præſertim antiqvioris juris formulis proceſſualibus, codicis norvegici *Chriſtiani Vti* harum inſtitutis loco. Multi igitur, qvi ſtudio antiqvæ lingvæ borealis et antiqvarum legum Norvegico-Islandicarum præcipue non vacavere, multa harum vocabula jam ænigmatica prorſus comperiunt, unde vitioſæ admodum earum verſiones præſertim opera lingvæ minus gnarorum manibus verſantur interpretum ut vulgata Danica Codicis *Jónsbók*. Neqvidem fida talium gloſſarum facile comparanda ſunt exempla, neqve ingens interpretum disſenſus unicuiqve facilius eſt diſcernendus comperitur *); his tamen adminiculis deſtitutus Jurisconſultus, erroribus ſæpius intricari pe-

*) Epitomen gloſſarum *Vidalini* in codicem *Jónsbók*, qvalemcunqve exhibent: *Rit islendſka Lærdómslista Félags* 2—8 Bindi, curâ Studioſi *Thorarini Liliendalii*.

riclitatur, leges interpretando applicandoqve ad caufas islandicas illi dijudicandas.

Sufficiat hic nonnulla tantum afferre hujus rei exempla: Sic de legali computatione aut erogationum ex contractibus civilibus, aut mulctæ pecuniariæ, juxta valorem *alin, ortug, eyrir, mörk* et *Hundrad*, multum fuit difceptatum, qvod fupra p. 45—47, prout hic fatis eft, commemoravimus. Sic vocabuli *bolöxi* (*Jónsb. Farmannal.* 9 c.) fignificatio propria folummodo in cafibus hoc codicis loco definitis, vel raro, vel nunqvam obviis, exigui qvidem foret ufus magni vero ad lites jufte difcernendas, de jure templorum ad ligna in litora fundi ejecta privati, qvod *Libris* eorum *daticis* f. inventariis regia munitis fanctione, pro diverfa ejectarum arborum magnitudine, fecuri *bolöxi*, five *afciá grandiore lignariorum* tantum apte cædendarum, templis interdum tribuitur,

Mannhelgi 2 Cap. varia exhibet exempla, ubi v. gr. inter *delicta inexpiabilia*, *óbótamál*, *nídíngsverk* refertur: ad *meida mann ad vilja fjálfs fíns*, qvod danica prava verfio ita interpretatur, "*eller fkader med frit Forfæt*" non

tamen reum ob qvodvis vulnus, aut qvamvis læſionem, etſi conſulto, alteri illatam nec capite neqve exilio, jure pleƈtendum cenſemus, neqve minus hoc vocabulo juris: "*meidir*" intendi, qvam *læſionem nefandam* & maxime enormem (*Nídingsverk*) qvalem l. c. ut huic parem allegat, "*Oculos alicui excludere, lingvam capite excidere, aliqvem caſtrare,* vel (*meidir mann*) *deliberate delumbare*," prouti codice Norvegico *Chr. Vti* 6 — 7 — 1 tales etiam enumerantur læſiones; hoc vero Caput Legis, cum in *Islandiá* nullius ſit valoris, verendum ſane foret, ne judex juridicæ ſignificationis hujus verbi, qvam exhibuimus, ignarus, verſioni nimium confiſus danicæ, *Mannhelgis* c. 2 & 4 ob unamqvamqve etiam leviorem injuriam realem immo tales, qvales N. L. 6—7—2, 8 recenſentur, lædentem capitis aut exilii damnet, ſi ignoret antiqviorem hujus verbi uſum, tam Codicibus legum, qvam hiſtoriis proprium, qvorum hic ſufficiet laudare codicem *Grágás Vígſlóda c.* 120, ubi proſcripto ſ. *Skógarmanni manus et pedes amputare,* dicitur *at meida hann.* Sic qvoqve *Grettis Saga* c. 21, ubi *Grettir* multis iƈtibus

gigantum tam graviter remis fuit percülsus "*ad vid meidslum lá*" ɔ: "ut fere delumbaretur," nec non *Sturlúnga Saga* 5 þ. c. 46. "*Quaddi Sturla til þorstein Lángabein ad meida hann* (ɔ: *Urækju*); *þeir skorudu af spiótskapti og giördu þaraf hæl; bad Sturla hann þarmed lióſta út augun;* — *Urækja ſaung í meidslunum bænina Sancta Maria &c.*" *en er því var lokid, bad Sturla hann minnaſt Arnbiargar og gélda hann.*" adeoqve et oculos cuidam excludere & eum castrare, hic *ad meida* dicitur.

Huic qvidem propinqva est significatio vocis *Lemſtrar-ſár Jönsb. Mannhelg.* 19, 21 et 23 Cap. prout datam legimus c. 21. "*En þad eru Lemſtrar ſár, er madur er ſídan verr fær enn ádur*" qvo ſenſu etiam *Lex Gulathingenſis* hâc voce utitur *Mannh.* 21 c. fere reſpondente voci *trælbaren* N. L. 6—7—9, cum vox *Lemſtrar-ſár* involvat debilitatem cujusdam membri *in poſterum* "*ſídan*," qvam, ſi in judicio ſuperiore alicui fuerit illata, c. 19 *delictis annumnrat inexpiabilibus* (*óbótamál*), jubetqve ex præceptis Capp. 2 & 4 puniendam, *proſcriptione* nimirum & *publicatione dimidiæ partis bonorum.* Verbi etiam *uförmer*

ſignificationi N. L. 6 — 9 — 2 valde contermina eſt hæc interpretatio vocis *Lemſtrar-ſár*, niſi qvod hæc debilitatem membri in *poſterum* (*"ſidan"*) ſemper, non vero ita *uförmer* involvat. Patet igitur vocem *meidir* proprie mutilationem ſive gravem delumbationem membri cujusdam corporis, jure islandico denotare, cum delibérata læſio corporis et enormis (*meidſli*) nefandis et inexpiabilibus annumeretur læſionibus; læſio vero *Lemſtrar-ſár* eo ſolummodo caſu, ſi uſum membri cujusdam in poſterum debilitet, ut loco ſanctiſſimo, veluti in ſuperiore inſulæ judicio, alicui inferatur, qvod exiguam, qvam meretur fidem, verſio hujus loci danica abunde probare cenſemus.

Plura porro exhibet exempla codicis *Jónsbók Mannhelg*. 2 *Cap.* vocum, obſcurioris jam ſignificationis, nec non ſententiarum, inter qvas primum meretur locum: *"Fordædu* og *Spáfarir allar og útiſetur ad vekja upp tröll og fremja* (*med*) *heidni*," qvam vulgaris codicibus interpolatione *"og forneſkjuſkap"* (ubi jam legitur) *"fordædu og forneſkjuſkap og Spáfarir"* &c. depravatam eſſe,

lectionem diximus p. 49, cujus tamen recta interpretatio judici eo magis necessaria, qvo minoris: o: nullius novit in *Islandia* auctoritatis esse codicis Norv. *Christ. Vti* 6—1—9, 13, qvoqve plura islandici annales horrenda prodiderint exempla civium innocentium vivicomburii, ab Ao. inde 1660 ad 1690 ut artis magicæ saltem suspectorum *).

*) Vide nostrum: *Island i det 18de Aarhundrede* 1808, p. 245, cum notis — p. 253, qvo apparet receptum fuisse in judicio superiore Ao. 1630, 1631 & 1637, nemine consulto, seqvi edictum *Chr. 4ti* d. 12 Oct. 1617, qvod æqve ac illius *Recessus* d. Ao. 1643 L. 2. c. 28 pœnam statuit capitalem veneficii, prout jam N. L. 6—1—9, etsi Rex harum legum nil unqvam *Islandis* jusserit.

Mirum sane igitur in *Svenonis Sölvii Tyrone juris* (nova edit.) 1799 p. 291 allegatum esse hoc edictum d. 1617 ceu "*plenæ auctoritatis in Islandia*," cum contra ejusdem jus criminale 1776 p. 51 "id non amplius tale agnoverit," etsi fundamentum multorum supplicii vivicomburio effecerit, qvod abhorrendum supplicium edictum demum d. 3 Jun. 1746 de disciplina domestica, §. 31 cum ecclesiastica com-

Denotat autem proprie: "ſceleſta tentamina omnia et auguria, nocturnasqve excubationes, ad manes arte magica evocandos, eoqve ipſo gentilem exercere cultum," in ſpecie *Fordæduſkapur* actionem ſceleſtam (udædiſk, danice), qvo ſenſu *magna ſententia* (*Stóridómur*) hoc qvoqve utitur vocabulo, uſu vero loqvendi etiam veneficium innuit.

Noſtrates vero unumqvemqve uſus aut abuſus Caracterum inuſitatorum, ut veneficii ſuſpectum, Capitis damnavere, etſi N. L. 6—1—12, in Islandia nullius tamen auctoritatis, hanc ſpeciem minus ſevere animadverterit, nec problematicum fuerit, utrum veneficium jure Islandico *Mannh.* 2 et 4 pœ-

---

mutavit, neqve minus mirandum eum pœnam veneficii in Islandia ſine ullo titulo allegaſſe eandem, qvam juſſit N. L., loco *Jónsb. Mannh.* 2, 4 Capp.

Legimus qvoqve ſententiam Judicum utriusqve ordinis d. 1 Aug. 1631 de ſuſpecto uſu Caracterum *Jonæ* cujusdam *Gudmundi*, *docti* appellati, laudaſſe et edictum d. 1617, & aliud d. 20 Mart. 1563, jubens (*Kiætterie*), ibidem *crimen inceſtus* denotans, morte puniendum;

na effet puniendum capitali, qvod negamus, cum cap. 4 tales, qvi *fcelera nefanda* cap. 2 enumerata committunt, *folummodo profcribendos effe dimidioqvè bonorum privandos*, qvod antiqvi fuit juris, v gr. *Thorlaco-Ketilliani* c. II. "*Et madur fer med fordæduſkap, oc vardar þad ſkóggáng*," ɔ: "Si qvis magicam exercuerit artem, profcriptionis reus efto." Juris qvoqve eft Islandici in his pluribus caufis (f. *óbótamál*) adhuc pervalentis, qvod addit *Mannhelgi* 4 c.: "*og komi aldrei í land aptur*" fin vero absqve venia regia revertantur, capite erant plectendi, prout Codex L. Norvegicus *Chr. Vti* 1—22—16 profcriptis adhuc comminatur.

Vox *aulfær*, *Arfatökur* c. 27 varie explicatur, verfio euim danica Codicis *Jónsbók* locum "*er hann heſtfær og aulfær*" ita interpretatur: "fi eqvum regere et compotationibus intereffe valeat" ipfe res fuas adminiftrato. Verfio autem Danico-Romana ipfius fontis *legis* nimirum *Gulathingenfis*, *Erfdabálks* c. 19 explicat *ölfær* f. *aulfær* cerevifiâ folutum, "*og er ædrue*" cum vero etymologia vocis ultimam fignificationem, ut impropriam mi-

nime admittat, neqve ulla appareat probabilitas compotatores majorem cœteris prodere posse habilitatem, res suas prudenter administrandi, adoptanda magis est eorum sententia, qvi etymologiam hujus vocis a verbo *"eg aulast"* *vage incedo*, et *"fær"* *habilis* derivant ita ut denotet *habilem ambulando* s. *incedendo*, cum c. 22 *Erfdatal*, fontis remotioris *Járnsídu*, *Erfdab*. locum parallelum ita exhibeat: *"Sjálfur skal hvörr ráda fé sínu, medan hann má sitja í aundvegi sínu, svo Kona sem Kallmadur."* ɔ: "Tamdiu et fœminæ et viro de bonis suis disponendi, qvamdiu eorum administrationis, jura competunt" et N. L. *Christ. 4ti Arveb.* 19 c. hanc formulam magis adhuc congruenter cum codice *Jónsbók* explanaverit, statuendo: *"Hver Mand, som haver sit fulde Vid, og maa sit eget Kiöb raade, og er hesteför og fuldfærdig*, ɔ: *fuldför, da maa han selv sine penninge raade."* Codex *Jónsbók* itaqve hac formula statuere videtur *"unicuiqve, ratione modo satis idonea prædito, etsi provectioris sit ætatis, competere jus de rebus suis tamdiu ipse disponendi, qvamdiu rationis usu, viribus & sanitate gaudeat adeo*

sufficientibus, ut et eqvitare et procedere valeat, earum necessariam gesturus curam," qvæ qvoqve designant normam, qvando qvisqvam alius tutelæ aüt curæ, senectutis ergo hic jure primum submitti debeat.

Vogrek Rekab. 2 c. male explicat versio danica per *"Tömmer som Folkes Gierning sees paa (Vrag)"* qvasi nil nisi ligna in littus ejecta, ad *Vogrek* esset referendum. Codex vero *Grágás, Landabrigdaþ.* c. 47 *um Vogrek,* hoc ita definit: *"Þad sé heitir Vogrek, er med líkum kastar á land, og menn ætla alla þá menn farist hafa, er þad sé áttu, þótt engum kasti líkum á land med séi því,"* ɔ: "illæ res *Vogrek* apellantur, qvæ cum funeribus mortuorum in littora ejiciuntur qvarum dominos omnes periisse probabile sit, etsi neminis unacum his rebus ejiciatur funus. "Jure igitur antiqvo Islandorum nomine *Vogrek* solummodo *bona naufraga* indicantur, cujus forte respectum qvadantenus habuisse programma (Plac.) d. 4 Maii 1778 §. 4 censemus, definiendo ligna, ferra, securive commercio plene coaptata &c. esse *Vogrek*; talia nimirum considerans ut bona naufraga. Nec

multum ab antiqva Codicis *Grágás* defcriptione differt recentior *Jónsb. Rekab.* 12 c.

Alin i Auxarþærum, eft transverfi menfura afelli unam æqvans ulnam, qvæ ex *Rekab.* c. 6, inventori balænæ, hanc fibi vindicandi, retinendiqve, juftum dat titulum, fi nimirum inveniatur balæna, tanta â continente in alto diftantia, ut exoffatum afellum explanatumqve ulnæ menfuram e transverfo æqvantem in latere navis terræ obverfo fufpenfum incolis adverfæ oræ maritimæ ab extremo litore, deceffo maris æftu, cernere non liceat. Qværitur ergo, qvanam afelli expanfi parte transverfe fit dimetiendum, lege qvippe, ceu normam jubente, afellum tantæ effe magnitudinis ut ulnam æqvet unam in *auxarþærum?* *Biörnius* de *Skardsá* pluresqve contenderunt *auxarþærur* denotare *medium afelli*, *Paullus* vero *Vidalinus* probabilioribus inductus etymologicis rationibus ftatuit per humeros five latiffimam, anterioremqve afelli partem transverfe effe metiendum, qvod etiam præferendum cenfemus. Cæterum hic locus, fere verbo tenus, fontem agnofcit codicem *Grágás Rekaþátts* c. 16 ubi legimus: "*Þad er mælt*

ef madur finnur hval á floti, ad hann skal flytia hann þángad sem hann vill, ef þad er utar fyrir annars manns Landi, enn fisk sjér á bordi. Þad skal þorskur vera álnar í öxarþærum og heitir sá fiskur gyldingur. Af því bordi skal fisk þann sjá, er til Lands veit. þadan frá úr fjöru, sem fyrir var utarst."

De pervestigatione rerum furto subductarum þjófab. c. 6. præcipit: "*þeir ega ad gánga í ullskyrtum einum og lausgirdir inn,*" prout vulgatus codex Islandicus hunc exhibet locum, danica vero versio: "*i deres blotte Uldenskjorter uden Bælte.*" Membranacei autem fide digni legunt: "*þá eigu þeir ad gánga í skyrtum einum og lausgirdir um,*" unde apparet lectionem "*Ullskyrtum*" spuriam esse, danicæ autem versionis "*uden Bælte*" consona qvidem nititnr versione, loci paralleli *Legis Gulathingensis c.* 6 *þjófab.*, qvam qvoqve *Járnsída* ibid. c. 5 saltem non inprobat, codicem *Jónsbók* vocabulis "*lausgirdir um,*" non minus proprie inqvisitoribus leviter tantum accinctis sive: laxo cingulo intrare præcepisse concludimus; etsi *Paullus Vidalinus* vocabulo *lausgirdir*, *leviter armatos*

intelligi contendat; *Grágás* enim *Ranfóknaþ.* jussit: *"Menn skulu láta ransakast, ádur gángi inn, ad eigi beri þeir fóla á hendur mönnum, enda svò þeir er útgánga,"* qvod superfluum esset, si non accincti, sive absqve cingulo intraverint. Exstat qvidem edictum *Haconis* Regis Haconisf., incerti tamen dati, jubens Norvegos res furtivas qvæsituros, *sine cingulo* intrare: *"þeir skulo gánga inn lindalausir (absqve cingulo) og láta ransaka sig, ádurenn inngánga og segja til jarteikna á því, sem stolid er"* uti qvoqve idem de inqvisitorum amictu præcipitur N L. *Christ.* 4ti *Tyveb.* 6 *c.* & *Christ.* 5ti 6—17—14, verba vero codicis *Jónsbók þjófab. c.* 6 *"lausgirdir um"* proprie denotant *"leviter accinctos."* Jam vero sublata videtur talis disqvisitionis necessitas, postqvam Rescr. 17 Febr. 1769 codicis Norvegici *Christ.* 5ti 6—17 c. Islandis tulit legem. Notanda deniqve est incuriosa valde danica versio hujus loci, ut plurimorum, cum textus: *"lysi torreki sínu og æsla sér lids til eptirfarar, svo mikils sem honum líkar og spyria til gardsbónda."* ita interpretatur: *"sige hvorledes det er ham gaaet og begiere

Folk til at jætte efter Tyven, ſaamange ſom han behöver og ſöge udi Boudens Gaard." pro: "jacturam cujus fecerit indicans, virorum qvot placuerit, reqvirat furem perſecuturus *ad prædium uſqve coloni veſtigia legendo,*"

Ohe jam ſatis eſt! ex permultis hæc pauca laudaſſe argumentorum, *magna juris noſtri islandici vitia* affatim probantium, cum tanta comperiatur *difficultas* leges hanc inſulam etiam nunc obligantes, *indagandi,* harum et *dijudicandi discrepantiam et fide dignam, integramqve acqvirendi collectionem* et deniqve *verum obſcuriorum eruendi ſenſum.*

§. 13.

Ut igitur plura *juris islandici præcipua* eo clarius appareant *vitia,* elenchi qvaliscunqve *legum, qvæ hodiernum hoc conſtituant jus* delineandi periculum faciemus, ordine chronologico principales earum recenſuri, qvæ vel omnino, vel magna ex parte in Islandia jam vigent auctoritate, unacum præcipuis talium recentiſſimis mutationibus, nullo hic habito diſcrimine, utrum *res eccleſiaſticas* an *civiles* attingant.

I. Primum igitur oportet, ut locum teneat *antiqvissima lex Islandorum*, Episcopi nimirum *Gissuri Islevii* pag. 25 memoratum *Statutum de modo decimandi in Islandia*, datum, receptumqve Ao. 1096, sive, ut non nullis placet, 1097, cujus fide dignum jus antiqvum ecclesiasticum *Thorlaco-Ketillianum* d. Ao. 1123, integrum exhibet exemplum, cfr. p. 26. Juri qvoqve *Arnæano*, dato Ao. 1275, contenta illius inserta sunt, varie tamen mutata et aucta, qvibus certe annumeramus mulctas, qvas præcipit, pecuniarias pro decimarum retentione, trium nempe Marcarum pro unoqvoqve eorum qvadrante, qvæ decimæ, si intra triennium non expendantur, bona rei omnia publicantur, inter regem et episcopum æqve dividenda. Ast cum multum, longeqve fuerit disceptatum de valore ipsius juris *Arnæani* in *Islandia*, non fuit minus de harum erogatione mulctarum, donec regis *Magni Ericii* f. *Smeckii* edictum Ao. 1356, dubia hac de re qvadantenus removit. Rescriptum qvoqve d. 3 Maii 1651 severam *legis*, probabiliter *Arnæani juris* pro retentione decimarum confirmavit poenam. Edictum

deniqve d. 1 Sept. 1786 diverſam prorſus pro *defraudatione decimarum* indixit, nullo tamen ad contumacem earum retentum, ſed tantum ſubdolum decimandi modum habito reſpectu.

Cæterum antiqviſſimum hoc ſtatutum d. Ao. 1096 etiam nunc Islandiam obligat, ceu lex in fundamentalibus modum præſertim decimandi, decimasqve erogandi reſpicientibus nondum variata, lata, receptaqve ævo, qvo hæc inſula, ut ſui juris respublica incolis leges dixit. Hæc inſuper fundamentalia gravis adhuc ſunt momenti, cum varia civium expenſa, fiſciqve regii, nec non cleri, templorum, pauperumqve varii reditus ex decimis nec non tributo harum ad summam accommodato, illis innitantur; veluti tributum regi debitum (*Kóngs Skattur*) ex *Jónsbók: Þegnſkyldub.* Cap. 1. 20 ulnarum (*álnir*) pretio, non menſura (panni vulgaris, ſ. *vadmáls*), licet ex *menſuræ* denominatione, *pretii* qvoqve olim fuerit derivata.

Præterea (*Gjaftollur*) *tributum donativum* præpoſitis qvondam, pro immunitate ab eorum perſecutionibus ob crimina leviora

voluntarie oblatum, regi demum soli reservatum, et *tributum Nomophylaci* (*Lögmannstollur*) debitum, jam ab anno inde 1800, fisco regio addictum, nec non *repartitio sumtus* in prosecutionem causarum criminalium, ex jussu Rescriptorum d. 10 Maii 1788 & 25 Jul. 1808 et pl. pro ratione summæ *decimarum*, ex bonis tantum mobilibus omnia erogantur.

Tam de *fundamento computationis decimarum*, qvam de earum *objectis*, multa diu dubia sunt vexata. Prioris generis duobus ansam qvidem, dedit ipsa *Gissuri constitutio decimalis*, non ultra sortis *D.* (sive 5 *Hundrud*) *) rationes decimarum iniens. Dubium ergo censebatur, qvo modo ratio decimarum ex sorte, pretium *D. ulnarum* (= 600 communi computo s. islandico 5 *Hundrud*) excedente, esset juste constituenda. Qvidam igitur ipsius constitutionis formulam verbaqve secuti in computatione decimarum auctô, saltem unius ulnæ expensô, qvodvis sortis Cen-

*) *Hundrad* ubiqve jure islandico et semper 120 numero comprehendit, sive *centum majus*, hic ergo 120 *ulnas pretio*.

tum ſupra *V*, decimarum nomine onerabant, qvæ tamen ratio decimas nonnihil diminuens, uſu parum invaluit, facillime licet computanda, cum ex ſorte *D*. (5 *Hundrud*) hac formula ipſaqve conſtitutione decimali, 6 expendantur ulnæ, ceu decimæ, ex DC. (6 *Hundrud*) = 7 ulnæ, ex DCC. (7 *Hundrud*) 8 ulnæ, et ſic p. ex MCD. (14 *Hundrud*) 15 ulnæ, ex MMM. (30 *Hundrud*) 31 ulnæ *).

Alteram decimandi rationem ex ipſius conſtitutionis formula rectius deduci poſſe alii contenderunt, augendo decimarum expenſa extraordinaria, unius ulnæ poſt qvinqve ſortis qvævis *Hundrud*. v. gr. Etſi hæc formula rationum ipſam ſtricte ſeqvatur conſtitutionem in decimarum computatione usqve ad *D*. (5 *Hundrud*), ex qvibus 6 erogantur ulnæ, expenſa decimarum ad qvævis *D*. (5 *Hundrud*) exinde extraordinarie una augentur ulna, videlicet ad DC. (6 *Hundr*.) MC. (11 *Hundr*.) MDC. (16 *Hundr*.) MMC. (21

*) Hanc formulam rogavit præcipue *Islevus Enaris*. Toparcha qvondam Skaptafellenſis, emortuus Ao. 1720.

Hundr.) ut ex 6 *Hundr.* 8 ulnæ, ex 11 *Hundr.* 14 ulnæ, ex 16 *Hundr.* 20 ulnæ, ex 21 *Hundr.* 26 ulnæ, ergo fupra communem regulam, et forte plus jufto ita expendatur. Qvam tamen formulam hujus autor Epifcopus *Mag. Jóhannes Arnæus*, acerbâ nimis cum *Paullo Vidalino* hac de re contentione falvare fruftra conatus eft, cum *tertia*, *Vidalini* nempe, *formula* decimas computandi certe magis jufta adeoqve acceptabilis, communiter exin prævaluerit talis, ut poft erogatas ex primis qvinqve *Hundr.* ad normam ipfius conftitutionis decimas, hæ femper *decimam* conficerent *partem fructuum fortis*, *hujus vero centefimam*, cum ipfa lex *Jónsbók Kaupab.* 15 c. *fructum unius Hundr.* f. 120 ulnarum, *duodecem ulnas ceu legalem jufferit.* Summam hanc formulam fervaturi addimus igitur 6 *nummulos* (*penínga*), qvorum *decem*, congruenter cum *juris ecclefiaftici Arnæani*, qvod p. 46 laudavimus capite 31, nec non antiqvo legum codice *Grágás* — *uni æqvivalent ulnæ*, fummæ decimarum ex augmento fortis, fupra 5 *Hundr.* qvodvis *femi-Hundrad*, five 60 ulnas æqvante; *duodecem* itaqve ta-

lium *nummulorum* ex qvovis integro *Hundradi* expenduntur, unde feqvitur qvinto qvovis fortis, v. gr. decimo, vicefimo, tricefimo &c. decimas fine numero fracto *integra increfcere ulna, cujus formulæ Tabulam* et alibi edidimus *) et hic fubjungemus infra.

Hæc de decimandi formulis earumqve nulla lege accuratius unqvam definitis principiis. Notamus itaqve ultimam, ut cæteris æqviorem et folidiorem formulam, fibi femper conftantem, eandemqve de *decima fructuum parte five centefima fortis* regulam femper fecutam, ad cujus qvoqve noftra *tabula* tenorem eft concinnata, et a plurimis in Islandiâ ufu receptam effe, conftitutio vero ipfa, de decimis ex forte qvinqve minore *Hundr.* expendendis normam, etfi multo feveriorem, nihilominus adhuc vigentem exhibet. Sic v. gr. duæ ulnæ, ut decimæ ex 1 *Hundr.* erogandæ $\frac{1}{60}$ fortis et $\frac{1}{6}$ ufuræ, æqvivalent parti; 3 ulnæ ex 2 *Hundr.* = $\frac{1}{80}$ fortis, ufuræ vero $\frac{1}{8}$; 4 ulnæ ex 3 *Hundr.* $\frac{1}{90}$ fortis, ufuræ au-

*) Vide *commentarium* noftrum juridicum *Handbók fyrir hvörn mann* 1812, p. 58—59.

tem $\frac{1}{9}$ &c. donec 6 ulnæ ex 5 *Hundr.* $\frac{1}{100}$ *fortis* & *ufuræ* $\frac{1}{10}$ efficiant, qvod fortis et ufuræ maximum pro norma generali decimarum ex majore qvaliber forte ita cooptandum videtur, *ut decimæ fructuum five ufuræ femper partem faciant decimam,* fi modo fors non fit inferior qvinqve *Hundr.*, et bona, tantum fructuofa, in cenfum veniant decimationum legali norma, ita ut *C.* (ulnæ, f. 1 *Hundr.*) annuum ferat reditum 12 ulnarum, ex præcepto *Jónsbókar Kaupab.* 15 c. et antiqviore codicis *Grágás Landsleigub.* five *Búaþátt* cap. 1. *"Madur fkal ei felja dyrra fé fitt á leigu, enn X aurar fé leigdir eyri til jafnlengdar."* X autem *oræ* f. 60 ulnæ cum ufuram reddant 1 *oram* f. 6 ulnas, feqvitur 120 ulnas f. 1 *Hundrud* annuum 12 *ulnarum* collaturas reditum. Æqvitate tamen et ufu magis qvam legum fanctione hæc formula nititur, refpectu fortis 5 *Hundrud* fuperantis, cum jus ecclefiafticum *Arnæanum* c. 14 qvidem ftatuat una faltem ulna ad qvintum qvodvis fortis *Hundrad* (C) augendas effe decimas, nil tamen hoc jure cautum de erogationibus ex qvantitate fortis intermedia nec indubia fuit auc-

toritas hujus juris noſtra usqve ad tempora.

Tabulam decimationis hanc juxta *formulam* jam ſubjungemus, prouti antea talem vulgavit noſtra ſupra p. 87 allegata *Handbók* &c. cfr. p. 44—47.

Tabula Decimationis.

Res decimandæ		Decimæ		Decimæ diviſæ ſ. qvarta pars	
Hundrad	ora	ulna	piſcis	ulna	piſcis
:	10	1	-	-	$\frac{3}{10}$
1	-	2	-	-	$\frac{3}{5}$
1	10	2	1	-	$\frac{9}{10}$
2	-	3	-	-	1 $\frac{1}{5}$
2	10	3	1	-	1 $\frac{1}{2}$
3	-	4	-	-	1 $\frac{4}{5}$
3	10	4	1	1	$\frac{1}{10}$
4	-	5	-	1	$\frac{2}{5}$
4	10	5	1	1	$\frac{7}{10}$
5	-	6	-	1	1
5	10	6	1$\frac{1}{5}$	1	1$\frac{5}{10}$
6	-	7	$\frac{2}{5}$	1	1 $\frac{3}{5}$
6	10	7	1$\frac{3}{5}$	1	1$\frac{9}{10}$
7	-	8	$\frac{4}{5}$	2	$\frac{1}{5}$
7	10	9	-	2	$\frac{1}{2}$
8	-	9	1$\frac{1}{5}$	2	$\frac{4}{5}$
8	10	10	$\frac{2}{5}$	2	1$\frac{1}{10}$
9	-	10	1$\frac{3}{5}$	2	1 $\frac{2}{5}$

Tabula Decimationis.

Res decimandæ		Decimæ		Decimæ divifæ f. qvarta pars	
Hundrad	ora	ulna	pifcis	ulna	pifcis
9	10	11	$\frac{4}{5}$	2	1$\frac{7}{10}$
10	-	12	-	3	-
10	10	12	1$\frac{1}{5}$	3	$\frac{3}{10}$
11	-	13	$\frac{2}{5}$	3	$\frac{3}{5}$
11	10	13	1$\frac{3}{5}$	3	$\frac{9}{10}$
12	-	14	$\frac{4}{5}$	3	1 $\frac{1}{5}$
12	10	15	-	3	1 $\frac{1}{2}$
13	-	15	1$\frac{1}{2}$	3	1 $\frac{4}{5}$
13	10	16	$\frac{2}{5}$	4	$\frac{1}{10}$
14	-	16	1$\frac{3}{5}$	4	$\frac{1}{5}$
14	10	17	$\frac{4}{5}$	4	$\frac{7}{10}$
15	-	18	-	4	1
15	10	18	1$\frac{1}{5}$	4	1$\frac{3}{10}$
16	-	19	$\frac{2}{5}$	4	1 $\frac{3}{5}$
16	10	19	1$\frac{3}{5}$	4	1$\frac{9}{10}$
17	-	20	$\frac{4}{5}$	5	$\frac{1}{5}$
17	10	21	-	5	$\frac{1}{2}$
18	-	21	1$\frac{1}{5}$	5	$\frac{4}{5}$
18	10	22	1$\frac{2}{5}$	5	1$\frac{1}{10}$
19	-	22	1$\frac{3}{5}$	5	1 $\frac{2}{5}$
19	10	23	$\frac{4}{5}$	5	1$\frac{7}{10}$
20	-	24	-	6	-

Nec minus de objectis decimationis contendere noftrates. Severe enim Epifcopus

Mag. Johannes Arnæus perurfit & prædia & omnia bona mobilia, utrum ullum, an nullum reddiderint qvæftum, effe decimanda, contendens decimas fortis aliqvam effe debere partem, nullo ufuræ habito refpectu, concedendo tamen 3 Hundrad rerum inanimarum prout recentiore receptum ævo, ut 1 tantum Hundrad decimanda effe. Cui opponens *Paullus Vidalinus* res folummodo qvæftuofas decimandas effe, decimisqve ufuræ tantum decimam fine diminutione fortis, detrahendam effe afferuit partem, etfi concederet *"necessaria domuum fuppellectilia, resqve familiares, qvæ aut effent aliis elocanda, aut fi defiderentur ab aliis conducenda, decimationi etiam obnoxia effe."* Qvæ tamen abfurda corruit fententia.

Magni fatis momenti hæc erat qvæftio, et redituum ex decimis, et cum his congruenter exauctorum tributorum onerumqve publicorum (cfr. p. 83) refpectu; ipfa qvidem perfpicua conftitutionis verba pro Epifcopi; decimarum vero natura, genius, principiaqve conftitutionis pro *Vidalini* ftetere fententiâ. Jubet enim conftitutio decimalis omnia bona

enumerari et dein ut decimanda, æſtimari, qvotidiani uſus veſtibus, rebus eccleſiaſticis, libris cleri ejusqve ornatu liturgico tantum exceptis, ut maximum vero decimarum, uſuræ decimam cenſet partem ejusqve ſolius habere videtur rationem, prouti qvoqve plurimis ſeptentrionis gentibus uſu receptum eſt. Docet præterea *Húngurvaka* epiſcopum *Giſſurum* unacum *Sæmundo multiſcio* et Nomophylace *Marco Skeggii* f. pluribusqve inſulæ magnatibus deliberaſſe, ut lege foret cautum: "*qvod omnes annuas expenderent decimas bonorum et emolumenti ex perceptis eorum fructibus, prouti in aliis Chriſtianis inhabitatis regionibus fuerit uſu receptum.*" Hiſtoria inſuper *Arnæ* Epiſcopi commemorat cap. 29. jurisconſultum et Satrapam *Rafnium Oddi* f. Ao. 1281 in judicio generali f. ſuperiore Legato Regis *Lodino Lepp*, modum decimationis noſtræ rerum inanimarum iniqvitatis graviter arguenti, publice repoſuiſſe: "*Æqvam eſſe formulam noſtram, decimas ſolummodo ex omni qvæſtu, fructu & uſura bonorum, non vero e rebus nullum reddentibus fructum erogari.*"

Teſtante *Paullo Vidalino* hoc reſponſum variis hujus hiſtoriæ exemplaribus ita expreſſum eſſe, qvod licet acerbus nimium adverſarius ejus *Mag. Jóhannes Arnæus* iu dubium vocaverit, *Dr. Finnus Johannæus* id tamen cenſuit ita admittendum *).

Catholicum illius ævi ad rem ſatis attentum clerum uſurpaſſe etiam omnium rerum inanimarum exigere decimas, oratio *Lodini Lepp* ad ordines in judicio ſuperiore congregatos (l. c.) *jura eccleſiaſtica Islandorum* et qvidem ipſa *conſtitutionis decimalis* comprobant verba, decimas etiam *bonorum ab exteris advectitiorum* Islandis injungentia, ex principio tamen conſtitutionis probabiliter concludendum videtur, eo præcipue *fructus* ſive *lucri mercium*, venditarum rationem fuiſſe habitam, cum bene placitam bonorum æſtimationem ipſis permiſerit poſſeſſoribus, qvibus eos pretia ex annuis reditibus, uti optime notis ita rectiſſime forent cenſenda. Supellectilia vero domus resqve familiares, permultas æqve neceſſarias unicuiqve patrifamilias eſſe ac

*) *Hiſt. Eccleſ.* T. I. p. 126, nota.

qvotidianas veſtes, adeoqve etiam tunc temporis decimis eximendas, neqve diverſum fuiſſe principium conſtitutionis decimalis, facile concedetur, cum hoc analogiæ juris, *Jónsb.* nimirum *Þegnſkyldub.* 1. c. de *tributorum erógationibus* bene reſpondeat, innixis tantum rationibus decimarum jubente: unumqvemqve colonum *tributum & mercedem pro itinere delegatorum ad judicium ſuperius* (cfr. *Þíngfararb.* 2. c.) regi debere, qvi pro ſe & unoqvoqve domeſticorum qvos ſuſtentare tenetur, poſſidet vaccam, ſive pecudes (vaccæ) æqvivalentes, ſive remunculum, ſive rete phocis illaqveandis jaculum (qvorum qvodvis etiam vaccæ æqvivalere cenſetur pretio, ex principiis talia æſtimandi, exhibitis *Kaupab.* 6 & 15 cap., ſive 1 *Hundrad* ɔ: 120 ulnis) *et veterinum inſuper vel bovem, vel eqvam* *) *et præterea omnia ejus villicationi neceſſaria*

*) Edictum *Haconis* Regis d. 14 Jun. 1314, cælibem etiam virum aut fæminam tributarium decrevit, qvi pro ſe ipſo, et pro qvovis ejus pupillo aut tutelæ ſubjecto, poſſederit 1 *Hundr.* & 1 *Hundr.* inſuper.

suppellcotilia, *resqve familiares*. Lex igitur Ao. 1280 hæc fupelle&ilia omnia â cenfu tributario excepit, qvare *nec ea*, *nec aliæ res*, *nullum ferentes qvæftum*, *cenfui decimali*, qvi fundamentum illius efficit, *debent annumerari*.

Invalefcente vero abufu etiam *res inanimatas* nulliusqve qvæftus decimandi noftrates talis decimandi modi iniqvitatis pertæfi, feveriora legum præcepta ipfi aliqvatenus mitigare funt conati, ita ut CCC (tria *Hundr*) bonorum, nullum qvæftum ferentium, exinde ut C (i *Hundr.*) fructuoforum effent decimanda, fententia judicii fuperioris Ao. 1574, inconfulto licet rege, fuerit cautum *) et univerfaliter pro lege receptum, de cujus auctoritate legali §. 23 plura notabimus, hic folummodo addito, tam Codicem *Jónsbók* **), qvam recentiora edicta regia Islandiæ Nomo-

---

*) Exftat hæc judicii fententia inter cæteras hujus tribunalis, indubia fide, de qva præterea et Annales et *Hift. ecclef.* T. III. p. 104, nec non gloffa *P. Vidalini* in vocem *Tiundargiöf* conferantur.

**) Þingfararl. 4, 6 et 9 Capp. unacum edictis iisdem adjectis.

phylacibus et ſuperiori tribunali usqve ad Annum 1662, demandaſſe neceſſarias legum rogationes, nec non jus unacum optimatibus inſulæ deliberandi, qvid de cauſis legibus non definitis eſſet ſtatuendum *). Immo ſententiis hujus tribunalis, ſtatutis et conſvetudinibus islandicis ſingularem tribuiſſe videntur vim et auctoritatem Reſcripta regia d. 11 Maii 1708, 19 Febr. 1734, duo d. 14 Apr. 1688 et Reſcr. d. 16 Maii 1760 §. 1, 4, 6.

Principium, qvod hic profitemur, *formulæ decimationis* e fructibus tantum bonorum qvæſtuoſorum ſive uſurâ decimas eſſe erogan-

*) Vide edictum regis *Erici* d. Ao. 1293, ubi legimus: "Si qvid lege ſit cautum, qvod prudentiſſimi incolarum aut nimis ſeverum aut remiſſius cenſeant, Nomophylaces jubemus noſtros vota omnium Nobis exponere; conſultis noſtrorum optimis vobis certe commodiſſima qvævis præcepturis. Similia dedit edicta Rex *Haco* annis 1314 et 1316, qvorum poſterius de *valore antiqvi juris eccleſiaſtici* in Islandia jubet nomophylaces, conſultis tamen epiſcopis, viris doctis et optimatibus, mutationes inconvenientium rogare, inſulæqve commodiſſima qvævis proponere. Cfr. *Hiſt. eccleſ.* T. I. p. 422—423.

das æqviorem qvadantenus et legalem demum adeptum eſt ſanctionem edicto d. 17 Jul. 1782, etſi noſtris diebus noſtræqve conditioni vario reſpectu jam minus accommodato. In decimandorum tamen æſtimatione bonorum, plurimis articulis, eundem ac *Jónsb. Þegnſk.* 1. c. tributi ergo, fructuum habuit reſpectum, ſi *qvod excedit numeratæ fructu carentis pecuniæ exceperis*, cujus decimatio nec æqvitate, nec adoptato nititur principio, *decimas tantum fructuum* exigendi; cum præterea *decimæ numeratæ pecuniæ* jure danico non erogentur, neqve ulla huic inſulæ adhuc conceſſa fuerit opportunitas eam tuto reddendi qvæſtuoſam, dum præcepta Legislatoris de Albis fide dignis hypothecarum et pignorum legitime inſtituendis in Islandia deſiderantur. *Modum denique proceſſualem in cauſis de decimis* ſtatuto *Giſſuri* præceptum, nec non poenam earum defraudationis, edicta d. 17 Jul. 1782 & 1 Sept. 1786 et laudata ſæpius reſcripta d. Annis. 1732 & 1734 ſive penitus abrogavere, ſive immutavere. Mulctas qvoqve pecuniarias pro *contumaci retentione decimarum*, hoc *ſtatuto jureqve Arnæano eccleſiaſtico* definitas, edictum

Regis *Haconis* d. Ao. 1316 (cfr. p. 96) ad trientem usqve minuit, cujus, ex analogia edicti d. 1 Sept. 1786 & Programmatis d. 31 Oct. 1800, (cum L. Norv. de processu etiam executivo in Islandia valeat) nemo amplius hic erit damnandus, Rescripto d. 11 Apr. 1781 §. 3 jubente *decimas brevi manu, secundum inappellabilem hac de re judicis pedanei sententiam esse exigendas.*

§. 14.

II. *Jus ecclesiasticum Arnæanum* concinnatum Ao. 1274, ab Islandis in dioecesi saltem *Skalholtensi* pro lege ultro receptum ecclesiastica 1275, proximum tempore occupat locum. De hujus tamen juris in Islandia auctoritate tam seculis 13 & 14, qvam nuperrime elapso inter doctissimos acriter fuit disceptatum viros, *Paullum* præsertim *Vidalinum* & Episcopum *Mag. Johannem Arnæum*, immo *Dr. Finnus Johannæus* & Nomophylax *Sveno Sölvii**), Ao. 1782 fatis demum functus, contrarias prorsus tuebantur senten-

*) Vide ejusdem *Tyronem juris* 1754. p. 9—11.

tias, hic enim cum *Mag. Johanne Arnæo* antiqviori juri ecclesiastico *Thorlaco-Ketilliano* (cfr. p. 26) lato Ao. 1123, integram, nullam vero *Arnæano* tribuit auctoritatem, *Paullus* contra *Vidalinus*, ejusqve legens vestigia *Dr. Finnus Johannæus* omnem soli Arnæano. Celeberrimus nostras *Johannes Erici* rem in medio ipse reliqvit *).

Pro antiqviore jure *Thorlaco-Ketilliano* facit:

1o. Latum id receptumqve esse, pro lege ecclesiastica Islandiæ, Ao. 1123, cum insulæ summum rei publicæ ipsi comperierit regimen, nec ulli jus, nisi regibus, post ejus submissionem Islandis leges ferendi.

2o. Nonnulli contendunt, omnia Edicta Regum de juribus ecclesiasticis, *Thorlaco-Ketilliani*, non vero *Arnæani* confirmationem spectare, jubendo antiqvioris tantum, non vero recentioris, qvod *Arnæanum* tum considerabatur, observantiam juris, veluti edictum Regum *Erici & Haconis Magni* filiorum d.

*) *Holbergs Stat, p. 514.*

3 Jun. 1291, *antiqvi juris* de decimis, mulctis omnibusqve aliis caufis, juxta *antiqvam confvetudinem*, ceu ante transactionem inter *Magnum* regem *Lagabætir & Jonam* Epifcopum *Tunsbergi* factam Ao. 1277, valorem confirmans, qvocirca formulis dictionis, "*antiqvum jus ecclefiafticum & antiqvam confvetudinem*" folummodo jus *Thorlaco-Ketillianum* innui, *Arnæanum* vero ut duobus demum annis, ante laudatam transactionem, neqve regia unqvam munitum fanctione, recentius appellari.

Edictum hoc Norvegis non vero *Islandis* proprie datum effe in vanum objici infuper contendunt, cum ipforum etiam regum promat declarationem, qvod inter hos, omnium fubditorum provifuros neceffitatibus et *Jörundum* Epifcopum (*Holenfem*) aliosqve Epifopos convenerit, *antiqvum jus ecclefiafticum* poftea effe obfervandum, adeoqve hoc edictum Islandiam æqve refpicere, cum præterea rex *Chriftianus 2us*, Ao. 1514*) omnia

*) Collectio *Ketilliana* confirmationem hanc *Chriftiani 2di* vitiofe nimis ad annum refert 1507.

confirmaverit regis *Haconis* edicta, eaqve etiam *Islandis* jusserit leges.

Porro historia *Arnæ* episcopi c. 44 inducti, fautores hujus sententiæ *Ericum* regem Ao. 1280 *antiqvum jus ecclesiasticum Islandis* legem tulisse afferunt, archiepiscopum vero *Jonam* nonnullis postea annis *Arnæanum* obtrusisse, adeoqve laudato edicto Anni 1291 episcopum *Jörundum Holensem*, regi tunc præsentem, aliosqve episcopos, non vero archi-episcopum *Jörundum* hoc imperatum comprobasse. Edictum qvoqve *Haconis* regis d. Ao. 1305 jubens: *"idem jus ecclesiasticum ac antiqvitus observari,"* *Thorlaco-Ketillianum* respexisse, minime vero *Arnæanum*, tum primum triginta annorum, *antiqvum audivisse*. Edictum insuper *Haconis* Ao. 1309, mulctas ultra normam antiqvi juris ecclesiastici interdixisse, confirmatum dein â rege *Magno Erici Smeck**), nec non alterum *Haco-*

T. I p. 138—139, versio tamen danica codicis *Jónsbók* p. 403—404 absurdissime ad annum 1541, datamqve â *Christiani* 12., tum 60 ante annos emortuo.

*) *Hist. eccles.* T. 1. p. 430—431.

nis edictum Ao. 1305 *) legum codicem et *antiqvum* jus allegans *ecclesiasticum*, de qvinta cetorum parte diebus festis inventorum provectorumve pauperibus debita **); edictum deniqve *Haconis* d. Ao. 1316 nomophylacibus injunxisse *jus* seqvi *ecclesiasticum* antiqvitus prævalens, *non tamen Magni Lagabœtirs, neqve Jonæ Archiepiscopi*, verum *qvod antea obtinuit* (qvodqve antiqvum fuerit) ita tamen ut omnes mulctæ eodem definitæ ad trientem usqve deminuantur ***), qvod edictum unacum omnibus regis *Haconis* Norvegis datis, â *Christiano* 20. uti memoratum p. 102 sit confirmatum, Islandisqve ceu lex imperatum.

Juris ecclesiastici *Arnæani* editio *Thorkelliniana* Ao. 1777 inscripta est: *Jus Ar-*

*) Ibid. p. 417.

**) Vide *Jónsbók Rekab.* 10 c. et jus *Thorlaco-Ketillianum* c. 16.

***) *Hist. eccles.* T. I. p. 412 hanc formulam: "*falli nidur til þridjúnga*" ita qvidem, licet mendose, vertit: "*triente diminuantur*," qvod edicto *Haconis* regis *Haconis* filii, hac ipsâ paragrapho, mox infra laudando, expresse probabitur.

nædnum novum, et denuo p. 2—3, ubi etiam *Jonæ Archiepiscopo* adscriptum, in dioecesi *Skalholtensi* receptum esse perhibetur, allatis insuper præfationis p. X. nota a), argumentis ex historia ecclesiastica T. I. p. 547 &c. desumtis, valorem hujus probaturis juris, nihilo tamen minus accuratior collatio juris *Jonæ* cum *Arnæano* docebit hoc ab illo plane diversum esse, etsi illud Islandis frustra obtrusum fuerit in judicio superiore Ao. 1281, probet historia *Arnæ* Episcopi c. 29, recusantibus et huic, 35 comprehendenti anathemata, et codici *Jónsbók*, 40 (*óbótamál*) *delicta* enumeranti *inexpiabilia* morem simul gerere, qvæ 35 anathemata certe sunt juris *Jonæi*, cum 12 tantum jure *Arnæano*, appendicis cap. 4, recenseantur.

Priori qvidem objectioni opponitur *Transactio* inter regem Magnum *Lagabætir* et Archiepiscopum *Jonam* Ao. 1277, qva rex ipse sibi, successoribusqve omnino abdicavit jus leges ferendi ecclesiasticas, talesve dijudicandi causas *); ista vero transactione cum nihil de

*) *Hist. Eccles.* T. I. p. 386 & *Historia Arnæ* Episcopi l. c.

valore juris *Arnæani* fuerit cautum, nec ulla retroactiva illi competierit vis, neqve jus *Arnæanum*, ut antea latum, eo qvid nactum fuisset valoris, nullamqve competentis Legislatoris corroborationem contendunt, hoc privata auctoritate ceu legem jubere, æqve fuisse illegitimam ac nimium arrogantem juris majestatici violationem, talisqve juris receptionem in Islandia, nullum dedisse titulum *antiqvum* tum vigens *jus Thorlaco-Ketillianum* abrogandi, qvod solum laudatis omnibus edictis *antiqvo juris ecclesiastici* appellatione putant innui. Hoc tamen argumentum unacum omnibus posterioris objectionis ex laudatis desumtis edictis corruere existimat *Dr. Finnus Johannæus*, si edictorum modum scribendi *"forn og gamall kristinnréttur,"* ut fas est, ita interpretemur, ut jus *Arnæanum* ceu recentioribus legibus ecclesiasticis, qvas rex *Magnus* nec non Archiepiscopus *Jonas* obtruserunt, *antiqvius et oppositum* semper denotet, qvod in specie innuat edictum *Haconis* d. 1316, sicuti nomine *recentioris juris ecclesiastici* venerint *statuta episcopi Auduni Rufi Holensis* Ao. 1312, pluriumqve episcoporum, qvibus

hi pro lubitu omnia invertere & innovare fuerint conati *). Argumentis porro satis ponderosis probavit *Dr. F. Johannæus* **) plurimos episcopórum jus *Arnæanum* fuisse amplexos, ut fere universaliter in Islandia receptum, nec aliter explicandum esse edictum *Magni* regis *Erici Smeck* d. 1356, qvam ut *Arnæanum* tantum jus eodem denuo confirmetur, usu præterea, ceu lex firmæ auctoritatis, deinde receptum ad Reformationis, immo nostra usqve tempora, qvatenus *huic* et recentioribus *ordinationibus ecclesiasticis* nec non *libro sacrorum rituum* adversatur ***).

---

*) *Torf. Hist. Norv.* P. 4. p. 450 et *Hist. Eccles.* T. I p. 545 &c.

**) L. c. p. 546—547, notula c) et T. IV. p. 182 —183, not. 6).

***) Compilatio qvædam eorum *Juris Arnæani* qvæ adhuc post reformationem alicujus censebatur valoris, jussu regis Christiani IIItii ab *Olao* episcopo Holensi *Hialtii f.* et *Arnæ Gislonis*, præfecto *Hunavatnensi* concinnata, ab anno inde 1564 ad annum 1568, *Olao* emortualem, appellatione *juris reformati ecclesiastici* insignita, manibus qvidem versatur, nusqvam tamen lex

Allatis jam argumentis plura adhuc addere liceat probantia: *Juri solummodo Arnæano* vim legis, posterioribus saltem seculis esse tributam. Sic *Stóridómur* s. *magna* sic dicta *sententia* d. 1564 *hoc solum allegat jus*, gradus consangvinitatis et affinitatis, concubitum nec non matrimonium prohibentes, recensens *), qvos jus omittit *Thorlaco-Ketillianum*. Cum vero confirmatio regia, Ao 1565 sententiæ *Stóradóms* data, etiam *antiqvum jus ecclesiasticum* eâ laudatum memoret, hæc respectu *graduum prohibitorum etiam post reformationem* id agnovisse videtur. Patet qvoqve episcopos Islandiæ jus tantum *Arnæanum* re-

agnita, utpote nec a regibus confirmata, nec ullius unqvam auctoritatis. Cum vero præcepta potissimum juris *Arnæani* post reformationem, aliqvo salvanda modo, contineat, hoc jus tunc temporis invaluisse eodem etiam probatur. Nec ante annum 1564 *reformatum hoc jus*, fuit compilatum, qvippe qvod capite 23 laudet *Lángadóm* (rectius "*Stóradom*") de delictis carnis intra prohibitos consangvinitatis et affinitatis gradus (cfr. *H. Einari Sciagraph. Hist. Litter. Isl.* 1777. *p.* 190.)

*) Cap. nempe ejusdem 20um.

ſpexiſſe Ao. 1560, excuſantes defectum virium ſive ingenii regio ſatisfaciendi reſcripto d. 29 Maii 1559, jubenti eos rogationem *ordinationis* cujusdam concinnare, pœnam adulterii & inceſtus in Islandia determinantem, dum laudaverint *antiqvum jus eccleſiaſticum*, pleni ibidem tunc vigoris, ſtatuiſſe: *inceſtus tantum cum matre, filia et privigna reos, exilii eſſe damnandos, niſi epiſcopalem adipiſcerentur abſolutionem*, qvod *juris Arnæani* c. 20 præcepit, nullâ ejus rei habita mentione jure *Thorlaco-Ketilliano*; unde auctoritas uſusqve illius tunc temporis in Islandia abunde comprobatur.

Obſervari qvoqve meretur, poſt jus *Arnæanum*, introductum 1275, nec *limitati*, qvod notant, *exilii*, nomine "*Fiörbaugsgard*," qvod jus *Thorlaco-Ketillianum* c. 5 illi comminatur, qvi vel abalienaverit, perdiderit aut emerit bona templorum, qvæ unicuiqve licuit vindicare neglecta tali tutelariorum curâ, neqve *exilii majoris* "*Skógargángur*" appellati ſ. proſcriptionis, ceu capitali contermini pœnæ, receptori paſtoris a grege huic commiſſo profugi, ceu proſcriptionis rei c. 8 indicti, ob

has unqvam caufas ullum fuiffe damnatum, neqve mulctæ fex *marcarum*, juxta c. 35, hujus juris, ob retentionem decimarum, verum trium tantum, ex præceptis *juris Arnæani* c. 15 (cfr. qvoqve fententiam *Arii* nomophylacis *Jonæi*, Anno 1548, nota 118 p. 94—95 edit. *Thorkellinæ* hujus juris).

Edictum infuper *Haconis* regis d. 1316, parum de valore juris *Thorlaco-Ketilliani* in Islandia probare videtur, ut datum Norvegis, non vero proprie Islandis, cujus rei inter varia argumenta erit præceptum ejus mulctas omnes jure antiqvo ad trientem usqve diminui, nullam mulctarum juribus noftris ecclefiafticis definitarum feciffe diminutionem, innixum qvippe antiqviore regis *Haconis Haconisfilii* (*Sverreri* nepotis) edicto Norvegico calci adjecto legis *Heidfivienfis*, jubenti omnes juris norvegici mulctas 40 marcarum ad trientem usqve reduci; ita ut exinde *tredecem tantum marcis* et octo conftent *Ortugis*, qvæ qvoqve maximam efficiunt mulctarum fummam codicis *Jónsbók* v. gr. libr. *Kóngserfdir* c. 5 et *Farmannal.* c. 8, cum tredecem marcæ, has proxime feqvantur mulctas. Illas

vero (ɔ: 13 M. & 8 Ort.) antiqvo computo æqvivaluisse 640 ulnis s. $17\frac{7}{9}$ nummis uncialibus (17 th. 84 argenti nummul. in specie, qvorum qvisqvis uncialis = 36 ulnis) indubium est *).

Deniqve probe notandum plurima qvidem juris præcepta *Arnæani* permultis recentioribus vel penitus abrogata esse edictis vel magnopere immutata, in specie de crimine incestus, edictis d. 14 Dec. 1775 et 23 Maii 1800, et articulis *Friderici ii.* de *caussis matrimonialibus* d. 1587, insertis licet codici legum Norvegico *Christiani Vti*, horum tantum respectu Islandos hâc de re obliganti; cum præterea edictum *Christiani IVti* d. 29 Nov. 1622 strictam ejusdem *norvegicæ Ordinationis* ecclesiasticæ observantiam Islandis

*) Ex computo tamen Cancellarii *Bielkii* 13 marcæ & 8 ortugæ *septem* tantum imperialibus æqvivalere, vane contendit. Nec *Osterſenii* computus jure norvegico (*Gloſſar.* p. 602) ut *Bielkii*, ceu fundamento innisus, magis erit adoptandus; probabilior licet *jure Cimbrico*, ubi *Ortugam* $7\frac{5}{7}$ nummulis Danicis (loco 8 jure norvegico) æqvivaluisse censet.

injunxerit, uti qvoqve *Christianus Vtus constitutionis de sacris ritibus* ecclesiarum ab anno inde 1687, ut taceam necessarias juris *Arnæani* ex ipsa reformatione oriundas immutationes *), seqvitur magnam juris *Arnæani* partem jam irritam omnino redditam esse, verum in qvibusdam causis, recentiore jure sive non definitis, sive Islandiæ saltem inconvenienter, vel nulla ratione dijudicandis, pleno adhuc valet vigore, capp. præsertim 14 & 15 de causis ex decimis et modo decimandi oriundis, qvatenus hujus fundamenta congruenter cum *antiqvissimâ* insulæ *lege principali* depromit, *constitutione* nempe *decimali Gissuri episcopi* d. 1096, de qvâ supra egimus No. I. §. 13 nonnullis ibidem insertis annotationibus.

§. 15.

III. Ordine chronologico jam proxime subseqvitur *Magni* Regis *Lagabætirs* codex Legum islandicus, *Jónsbók*, a *Jona* nomophylace ita appellatus. *Jonas* enim, qvi

*) Cfr. Rescr. d. 29 Maii 1719.

jussu *Erici* regis *Magni* filii, rerum summa in Norvegia tum potiti, hunc secum Islandis attulit codicem, qvi multas post ordinum omnium in superiore judicio Ao. 1281 recusationes, uti nos docet *Arnæ* episcopi historia capp. 26, 28 — 31 etc. eorumqve recenset præcipuas objectiones, demum fuit receptus, ita tamen ut variorum Regi statim supplicaverint immutationem, qvam tamen dubium est eos notabilem impetrasse ante Annum 1293, audita tunc Nomophylacis *Thorlaci Narvii* iterata demonstratione ejus necessitatis, cum rex *Ericus* memorabile satis varii argumenti promulgavit edictum, jubens simul hujus præcepta codici legum inseri, eoqve nonnulla excludi capita, qvod etiam rex *Haco* Ao. 1314 prolixam satis et memorabilem edens constitutionem, simili Islandis injunxit clausula. Varia interea Islandis data esse edicta commemoravimus p. 55 — 57, nec non §. 9 — 10 *præcipua* hujus Codicis exemplorum *vitia*, discrepantiam, exiguamqve vel ab ipso imperante agnitam fidem Rescr. d. 16 Maii 1760 §. 2, probata simul versionis danicæ fide, talibus codicis islandici exemplis, multo inferiore.

Cæterum plura allatis supra §. 3 argumentis codicem *Jónsbók* adhuc principalem hodierni efficere partem juris islandici, ejusqve certis tantum præceptis esse derogatum recentioribus edictis, nonnulla qvoqve eorum prorsus abolita, ut jam superflua documenta hic consulto omittimus commodiori loco, infra §. 20 No. VIII. qvædam huc pertinentia reservaturi. Sufficiat itaqve hæc codicis *Jónsbók* auctoritati præcipue derogantia, laudare edicta: Rescr. d. 2 Maii 1732, et 19 Febr. 1734, edictumqve d. 11 Jul. 1800 de generali Islandiæ judicio superiore, qvæ librum *Þíngfarabálk* licet exinde non omnino irritum admodum tamen immutavere, nec non *Mannhelgisb.* et *Þiófab.* respectu delictorum homicidii et furti, formularumqve processualium, his libris præceptarum. *Reformatio* religionis, *Ordinatio Christiani IIIti ecclesiastica* unacum *articulis Ripensibus* ejusqve *Recessu*; Norvegica *Ordinatio Christiani IVti* ecclesiastica *liberqve sacrorum rituum Christiani Vti*, pauca qvæ continentur Libri *Kristinndómsb.* primis duobus Capitibus de Religione et ecclesiæ moderamine, vario respectu exigui reddiderunt

usus. Lex vero regia Islandis licet juridice ignota, codicis *Jónsbók*, *Kóngserfda*, jam prorsus irrita fecit præcepta. *Magna* ita dicta *Sententia* (*Stóridómur*) lata 1564, Rescr. d. 25 Jul. 1808, Rescr. 17 Febr. 1769 de ordine et modo successionis ab intestato, libris *Mannhelgisb.*, *Qvennagiptíngar* et *arfatökur* inscriptis, varie et derogavere & obrogavere, majori licet parti plenam adhuc reliqverint auctoritatem, qvæ qvoqve competit plurimis Librorum *Framfærslub. Landabrigdab.* et *Landsleigub.*, si hujus cap. 12, ut programmate d. 19 Sept. 1806 abrogatum et perpauca alia v. gr. Capp. 57—58 edicto d. 13 Jun. 1787 decretoqve regio d. 17 Jul. 1816, de *jure venandi* nonnihil immutata, exceperis. Plurima qvoqve librorum *Rekab.* et *Kaupab.* adhuc vigent auctoritate, excepto prioris 12 capite partim immutato, partim exactius definito programmate d. 4 Maii 1778, nec non cap. 9 de *venatione phocarum*, laudato nuperrime decreto 1816, posterioris vero c. 26, edicto d. 18 Jun. 1784 abrogato, et capitibus 2 et 3 magna ex parte modo processuali Norvegico et edictis d. 19 Julii 1795 et d. 20 Jan.

1797, immutatis. Libro *Farmannalög*, recentiora licet *Islandis* data edicta non ita multa derogaverint, vel expresse obrogaverint, præsentis tamen seculi navigationum, commerciorumqve ratio et cum exteris nexus, multa ejus præcepta, salvis tamen reliqvis, jam amplius exigui admodum reddidere usus, neqve ideo ulla lex Librum IV. Codicis Norvegici *Christiani Vti* substituit ceu jus in genere subsidiarium, cum Rescr. d. 2 Jun. 1747 denuo iteratum constitutione d. 17 Nov. 1786 §. 19 et edicto d. 13 Jun. 1787 c. 2 §. 21, ejusdem tantum 4—8—1 Islandis jusserit legem, permulta vero edicta recentiora navigationem, sanitatem nautarum et tractatus cum exteris imprimis respicientia, illi potius, subjuncta merito censeantur.

Præcepta Libri *Þjófab.* de *poena furti* et de modo procedendi in causis inde oriundis, Rescriptum d. 19 Febr. 1734, multaqve recentiora edicta hujus delicti pœnam, nec non procedendi modum in talibus causis exactius definientia qvidem immutavere, præsertim progr. d. 24 Mart. 1786, edict. d. 20

Febr. 1789, Refcr. 25 Julii 1808 et 3 Maii 1816, non vero cætera hujus libri contenta.

Conſpectu præcipuarum Codicis *Jónsbók* mutationum ita leviter et qvidem ſummatim adumbrato, qvænam illius Libri plurima, aut ſaltem nonnulla, aut tantum exigua adhuc valeant auctoritate, facilius ut dignoſcantur, ſingulas enim atqve univerſas anxie recenſere, hujus diſſertationis proprium non erit objectum, duntaxat disqviſituræ qvænam leges generaliter *hodiernum jus* conficiant *islandicum*, qvibusqve hoc præcipue laboret vitiis, hæc ſummaria de valore Codicis *Jónsbók* hodieqve in Islandia jam ſufficere poſſe exiſtamus.

§. 16.

IV. *Ordinatio Chriſtiani IIItii eccleſiaſtica* d. 1537 et vinginti ſex ejusdem *Articuli Ripenſes* d. 1542, codicem *Jónsbók* ratione temporis, proxime excipiunt. Illam enim Ao. 1539, hos vero Ao. 1543 rex Islandis juſſit leges *); notandum vero

*) *Hiſt. Eccleſ.* T. II. p. 266. T. III. p. 3, 13, 120, 188, 250.

probe *Ordinationem Christiani IVti* norvegicam d. 1607 illis fucceffiffe, vel unacum illis vim legis effe nactam Refcripto d. 29 Nov. 1622, ita ut priores jam effe adhibendos in cafibus pofteriore non definitis, fi qvid de talibus ftatuerint. Aptior tamen, et Islandiæ naturæ et ufibus magis conveniens, jam dudum Anno 1719 defiderabatur lex ecclefiaftica, cum Refcr. d. 29 Maii e. a. juffit novam etiam de *facris ritibus* rogari. Prioris *Ordinationis* obfervantiam varia non tantum edicta ante promulgationem pofterioris d. 1607 præceperunt Islandis, v. gr. d. 1540, 1551, 1552, 1558, 1563, 1571, 1575, 1576, 1586 et 6 Maii 1617, cum *Christiani IVti* Ordinatio demum 1622, uti memoravimus, lata fuerit Islandis, qvare ceu lex plenæ auctoritatis illa fæpius laudatur v. gr. *Statuto Beffaftadenfi* Anno 1555 et *Magna Sententiâ* (*Stóradómi*) d. 1564, immo qvoqve Refcr. d. 19 Febr. 1734 et 16 Maii 1760 §. 5 in pofterum.

§. 17.

V. *Magnam*, ut audit, *Sententiam* (*Stóridómur*) Nomophylaces Islandiæ cum vi-

ginti qvatuor affefforibus generalis dicafterii tulerunt Ao. 1564, regis *Friderici IIdi* dein nactam corroborationem d. 13 Apr. 1565, ceu legem criminalem de *delictis inceſtus* et in genere *Carnis*. Rationem hujus edictum indicit regium d. 20 Mart 1563, codicem nempe islandicum nihil de inceftu pluribusve præcepiffe criminibus, qvocirca (*Kiætterie*) *hæreſes* et horrenda qvævis impune committi dolet delicta, neglecta prorfus *Ordinatione*, qvam unacum *Receſſu* (*Chriſtiani* nimirum IIIii) rex juffit Islandis leges, horumqve juxta præcepta omnes ex adulterio aliisqve lege islandica non definitis criminibus, oriundas dijudicari caufas, fimul qvoqve omnes in pofterum manifeftæ convictos hærefeos exilii reos, capitis damnari, bonaqve eorum publicanda regio fifco vindicari.

Noftrates vero longam cum variis talium criminum conniventiam experti, hanc pœnam, præfertim *hæreſeos*, feveram nimis exiftimavere, et in fpecie publicationem omnium bonorum, et præceptis codicis legum Islandiæ, *Mannhelgisb.* nimirum c. 4 non nihil repugnare, fatrapæ *Pauli Stigotii* exhortatione

incitati operâ Nomophylacum et viginti qvatuor delegatorum, dicafterii affefforum, *magnam*, ceu rogationem legis, tulere *fententiam* Ao. 1564, regiam hujus Ao. 1565 impetrantes confirmationem. Illud qvidem edictum (d. 1563) errores graviores de religione folummodo refpicere, juxta propriam vocabuli *Kiætterie* fignificationem, qvidam contenderunt, docuit vero *Dr. F. Johannæus* tunc temporis nullos invaluiffe tales *), ideoqve cenfemus interpretationem vocabuli *Kiætterie* hoc edicto adhibiti correctiorem in refcripto ad epifcopos Islandiæ d. 29 Mart. 1560 effe qværendam, jubente eos *ordinationem* qvandam rogare, qvæ *adulterii* tum, unacum aliis *impiis, nefandisqve facinoribus* et magna *immodeftia*, admodum glifcentis, pœnam ftatueret. Epifcopi autem mulctarum pro talibus peccatis, magis qvam eorum pœnæ probabiliter avidi, nec non juris, pro lubitu talia auro taxandi, tanto fe omnino impares negotio confeffi, idqve ferio deprecati, foli eruditiffimo fenatui academico committendum

*) *Hift. Eccl*, T. III. p. 364.

putabant, qvod igitur fimili refcripto huic fuit injunctum d. 15 Jan. 1561, etfi nil inde in jus redundaverit islandicum notabilius laudato refcripto d. 20 Mart. 1563, jubente *Kiætterie*, pœna profcriptionis vel etiam capitis et publicatione plecti bonorum.

Si igitur vocabulum *Kiætterie* h. l. cum enumeratis antea Refcripto d. 29 Mart. 1560 conferatur delictis, et deniqve cum authenticâ ipfius regis interpretatione dubiæ hujus vocis, datâ fcilicet originali Magnæ fententiæ confirmatione 13 Apr. 1565, qvæ admodum depravata et incorrecta in Collectionem irrepfit *Ketillianam* T. II. p. 52, vocabulum *Kiætterie* hic folummodo *crimen inceftus* denotare facile apparet, idqve ut magnam â vera religionis doctrina aberrationem hic ita nuncupari. Authentica enim confirmatio fæpius eam adoptat explicationem dicendo v. gr. "*Paul Stigfen* hafver haft for os en Dom, fom "vore Underfaatter, Laugmænd og Laugr- "temænd paa forfkreffne vort Land Island "om Hoerfag, Skiörlevnet, og *dennem fom* "*deres egen Slægt beligge*, dömt haver" et poftea: "og efterdi famme Dom, efter den

"gamle *Kirkelov* formelder om *Obótemaal* saa, "at de som efter samme Doms Ljudelse *bliver "befunden udi Kiætterie at beligge deres egen "Slægt*, skulle miste Livet og alt deres Gods "at være forbrödt til Os og Cronen." Idem præterea ex præmissis Rescripti d. 28 Apr. 1571 discimus (cfr. edictum d. 19 Apr. 1576 & 29 Apr. 1585).

Auctoritati tamen *magnæ sententiæ* in Islandia recentiora multum derogavere edicta, præsertim d. 29 Apr. 1585, Rescr. d. 12 Oct. 1764, ed. d. 14 Dec. 1775 et 23 Maii 1800, Rescr. 25 Jul. 1808 et progr d. 12 Jun. 1812, nec non Rescr. 3 Maii 1816, præter nonnulla alia, videlicet edict. d. 3 Jun. 1746 de variis matrimonia respicientibus et libidine, Rescr. d. 5 Maii 1779, 15 Mart. 1780 et pl. Aliqvid tamen huic sententiæ adhuc relictum fuit auctoritatis respectu saltem mulctarum ab adulteris erogandarum, et forte pro tertiâ vice vel sæpius iterato *stupro*, nisi minus analogicas admitteremus pœnarum rationes, adeo fere paradoxas ex præceptis Rescr. d. 25 Jul. 1808, ut *stupri gravior* qvam *adulterii luenda jam sit poena*. Qvo certe in

casu defectus congruæ magis cum vario delictorum carnis reatu pœnarum mensuræ, *juris islandici* foret annumerandus vitiis.

Respectu deniqve *magnæ sententiæ* non possumus his paucis non animadvertere:

10. Mulctas eadem definitas ad certam *Marcarum* vel *ulnarum* erogationem, iniqvæ avaritiæ, justo majores mulctarum titulo pro *carnis delictis* summas reis extorqvendi ansam olim dedisse, apposito sub prætextu *Marcarum*, *ulnarumqve* majorem antiqvitus fuisse valorem. qvem demum abusum legali circumscripsere termino Rescr. 25 Jul. 1808, §. 11 — 12, qvi qvoqve reliqvi mulctarum computi æqve legale depromit fundamentum, cum una *Marka* numerata æqvivaleat 8 *oris*, sive 48 *ulnis*, *una* vero *ora* argenti puri sive defecati = 1 unciæ s. nummo unciali, jussu *Jónsb. Kaupab.* 5 c., hæc vero = 36 ulnis, seqvitur unam Markam in computo mulctarum esse = $1\frac{1}{3}$ nummi uncialis. Sex igitur Markæ æqvivalent 8 antiqvis imperialibus (nummis uncialibus, qvorum unusqvisqve 108 nummulis danicis consistit) sive 9 communibus thaleris (qvorum qvisqve 96 continet

nummulos), prouti hoc qvoqve Refcriptum agnovit. Cum vero in cæteris præftationibus civilibus et commercio edictum d. 10 Apr. 1702 unciali cuiqve nummo ad 48 pifces five 24 ulnas usqve derogaverit, & idem qvoqve exinde ufu-invaluerit, unaqvævis *Marka*, reliqvis (exceptis tantum mulctarum) rationibus, communiter æqvivalet duobus nummis uncialibus.

20. Qvomodo hic computus *Markarum* mulctis erogandarum, recentiore jure Danico-Norvegico in 16 tantum nummulos danicos pro qvâlibet fit transformatus, loco $1\frac{1}{3}$ nummi uncialis, ita ut mulctæ *trium Markarum* infamantes, jam 48 faciant nummulos, cum tales olim mulctæ 4 marcarum antiqvo jure islandico v. gr. *Jónsbók*, fæpe qvoqve infamantes, $5\frac{1}{3}$ unciali æqvivaluerint, et mulctæ *magna Sententia* (*Stóradómi*) nec non Refcripto 25 Jul. 1808 cum hoc congruenter fint definitæ computo, mirum fane videtur, et nullo modo conciliatur his juribus, fed non ad noftrum attinet thema. Notandum vero faltem analogiam inter edicta *magnæ fententiæ* recentioresqve leges, refpectu determinationis pœnæ,

certo numero verberum virga vapulare, æqve difficulter esse indagandam. Magna enim Sententia (*Stóridómur*) unamqvamqve qvæ non penderetur, *Marcam*, sive $1\frac{1}{3}$ nummi uncialis, duobus lui jubet virgæ verberibus. Literæ regiæ danicæ Cancellariæ d. 21 Jul. 1787 unumqve thalerum mulctarum eadem relui proponit pœna. Rescr. d 25 Jul. 1808 §. 7 furtum simplex prima patratum vice, a decem ad triginta verberibus virgæ pro vario reatus gradu puniri jussit, leviora vero delicta contra ordinem publicum commissa â 10 ad 20 animadverti. Rescr. deniqve d. 3 Maii 1816 §. 2 et 4 operam trium annorum in ergastulo, ter viginti septem jubet expiari virgæ verberibus, breviori vero in ergastulo operæ arbitrariam substituens pœnam, pro diverso reatus gradu, non tamen decem verberibus leviorem.

39. Abusum nonnullorum qvondam, mulctis adulterii etiam a personâ exsorte matrimonii exigendi ob stuprum cum persona nupta commissum, cui ambigua *magnæ sententiæ* ansam dedere præcepta, decretum Can-

cellariæ regiæ demum d. 22 Dec. 1792 in posterum avertit.

40. Severis nimium *magnæ sententiæ* pœnis adhuc annumerari publicationem omnium bonorum mobilium præter pœnam capitis, ob patratum crimen inceftus, juffu Confirmationis *Friderici 2i* Ao. 1565, admodum dolemus, Islandosqve feveriore ob idem delictum, mitiffimo fub imperio *Friderici* regis VIti ita plecti pœna, qvam reliqvos fubditorum, etiam olim Norvegicorum, cum codice legum islandico *Mannhelgisb.* 4 c. ob crimina tantum læfæ majeftatis et perduellionis tota amitterentur bona, ob reliqva vero, etfi nefanda et inexpiabilia (*óbótamál*) pars duntaxat dimidia (cfr. §. 25).

§. 18.

VI. *Receffum regis Chriftiani IIItii* d. Ao. 1558 Islandis *fubfidiariam* tantum juffere *legem* edict. d. 20 Mart. 1563 et Refcr. 19 Febr. 1734. Hunc igitur magna fententia Anni 1564 ceu legem laudat plenæ auctoritatis. Nonnullos vero etfi hic Receffus contineat articulos alicujus forte in Islandia ufus,

fatendum tamen eſt plurimos cum Islandiæ natura, conditione et legibus minime congruere, judicesqve idcirco rariſſime inductos fuiſſe, eum ad cauſas obvias applicare, etſi præcepta Art. 50 *de uſucapione*, temporis tantum immemorialis excepta, islandico fere omnino deſiderentur jure, qvam tamen, ut inſulæ minus commodam, ex hoc *ſubſidiario ſolummodo jure* heic introducere ſui cenſebant non eſſe officii; neqve articulum 66um talis ſubſidiarii juris de iniqvo foenore, aliqvid poſſe derogare præcepto *Juris eccleſiaſtici Arnæani* c. 35 ultimo.

§. 19.

VII. Programma licet regis *Chriſtiani IVti* d. 27 Nov. 1588 *Receſſum Friderici IIdi* bis laudet ceu legem Islandis transmiſſam, contenta tamen hujus programmatis cauſas tantum matrimonii complexa, abunde probant *Articulos* ſive *Ordinationem* hujus de *cauſis matrimonialibus* d. 19 Jul. 1582 eodem tantum innui, edicto d. 2 Jun. 1587 Islandis imperatos. Nec vero hujus regis neqve *Chriſtiani IVti Receſſus*, eisdem ceu leges fuiſſe

latos probabitur, Refcriptum tametfi d. 26 Dec. 1646, neglecta, ut videtur, propriâ infulæ lege, *magna* fcilicet *fententia*, maleficum qvendam ob *crimen inceftus* cum privigna patratum, ex præceptis *Receffus Chriftiani IVti* morte jufferit mulctari, nec non Refcripta d. 19 Febr. 1734 & 16 Maii 1760 *Ordinationes* et *Receffus* Islandis transmiffos, potius qvam *Chriftiani Vti* codicem Norvegicum judicibus leges, eosqve novæ inferi legum rogationi præceperint.

Afferit qvidem *Sveno Sölvii* (Tyrone juris p. 13) *tres* in Islandia olim invaluiffe *Receffus Chriftiani* nimirum IIItii d. Ao. 1558, qvem folum agnofcimus, *Friderici IIdi* d. Ao. 1576 et *Chriftiani IVti* d. Ao. 1643, omni tamen deftitutus documento talem probante affertionem, qvod duos pofteriores attingit receffus, fi exceperimus abufum nonnullorum olim ullo fine titulo, eos cafibus obviis in Islandia, prout noftro qvoqve tempore nonnulli aufi fuerunt leges huic infulæ nec unqvam datas, neqve promulgatas, interdum applicare, cui tamen jus, alienis legibus tribuendi ullam obligandi vim, minime competit.

Hac certe inducti ratione, elencho legum jus Islandicum hodie constituentium, *Friderici IIdi Ordinationem* sive *Articulos matrimoniales*, hic inserere, potius qvam præcepta codicis legum Norvegicarum *Christiani Vti* l. 3—18 c., etsi hæc illos qvoqve complectantur, non hæsitavimus, utpote magnæ adhuc in Islandia auctoritatis, codicis vero Norvegici perpauca Libri IIIi, qvi neqve ideo jure possit laudari ceu Lex Islandiam hoc saltem respectu obligans. Non tamen integram hanc *Friderici IIdi Ordinationem* nobis reliqvere edicta Islandis promulgata d. 3 Junii 1746, de caussis matrimonialibus & libidine, 5 Mart. 1734, 14 Dec. 1775, 23 Mart. 1800, 1 Dec. 1797, 4 Jan. 1799, Rescr. 12 Oct. 1764, literæ Cancellariæ regiæ d. 15 Jun. 1799 et plura, eidem multum derogantia.

§. 20.

VIII. Norvegicam Regis *Christiani IVti Ordinationem ecclesiasticam* legem Islandis esse præceptam edicto d. 29 Nov. 1622, docuimus §. 16, No. IV. Si igitur nonnulla

interea edicta edita exceperimus, ordine chronologico nullam legem Islandos qvodammodo obligantem animadvertemus, ante præceptum, certis tantum in casibus, usum *codicis Norvegici Christiani Vti*, primum regiâ muneris gerendi lege, Præfecto insulæ *Fuhrmanno* scripta d. 30 Maii 1718, qva tamen illi solummodo mandata fuit cura, ut formulæ processuales codicis norvegici exinde in causis forensibus ibidem adhiberentur. Ipse vero Codex nunqvam in *Islandia* fuit promulgatus, neqve ceu lex incolas obligans, unqvam proclamatus, nec lingva iis propria editus publicâ auctoritate, neqve venalis. Rescriptis tantum commissorialibus ad insulæ Episcopos et Nomophylaces d. 14 Apr. 1688, novam legum codicis, Islandiæ usibus accommodati, rogationem iis mandantibus (episcopis tamen solummodo libri 2i. de religione et re ecclesiasticâ), ducis instar fuit concomitatus, qvo in negotio eos parum profecisse alibi commemoravimus *), nec non supra: præcepta

*) Vide nostram: *Island i det attende Aarhundrede*, p. 408—414.

Refcripti d. 2 Maii 1732 ultra ufum formularum codicis Norvegici in proceffualibus, non extendere, et tamdiu tantum, donec novi codicis regia auctoritate munita prodiverit rogatio, in omnibus cæteroqvin aliis, antiqvarum Islandiæ legum edictorumqve ad Islandos editorum jubere obfervantiam. (cfr. Refcr. d. 7 Maii 1735 et 24 Jan. 1738).

Infirmis igitur argumentis eorum innititur doctrina, qvi integro hujus codicis libro primo vim legis Islandiam obligantis hoc tantum refcripto tributam effe contendunt, formalia modo proceffus juris Norvegici in caufis forenfibus præcipiente, cum plura diverfa prorfus qvoqve hic liber comprehendat, prout capp. 1, 15, 24, immo hoc ultimum refcripto fpeciali d. 15 Aug. 1718 Islandis fuit imperatum, prout etiam L. N. 1—7—2 refcripto d. 24 Mart. 1705, qvod certe fuiffet fuperfluum, fi transmiffo Ao. 1688 ad Epifcopos et Nomophylaces codice ejusve introductis formulis proceffualibus 1718, aliqva ulterior hujus libri fuerit auctoritas.

Ufum præterea Codicis Norvegici in caufis de *homicidio* et de *furto*, injunxit Refcr.

d. 19 Febr. 1734, *donec nova legum codicis Islandici* confecta et regiam nacta fuerit confirmationem *), nec non Refcr. d. 17 Febr. 1769, integrum fere c. 2 libri 5ti de fucceffione ab inteftato et familia hercifcunda Præcepta N. L. 5—3 et 5 capp. de *jure Odelico* unacum hic introducto refcripto d. 28 Mart. 1776 edicto d. 14 Jan. 1771, vim legis demum adepta funt, qvatenus hæc legis præcepta, usqve ad d. 5 Apr. 1811, non fuerunt immutata recentiori in fpecie edicto d. 14 Jan. 1771, ultimum vero d. 1811, Islandia cèu legem adhuc ignorat. *Jus* vero *Odelicum*, qvale jure Norvegico ad annum usqve 1811 fuit definitum, Islandici qvoqve juris effe, aut celeberrimos fugit Jurisconfultos, prout nonnulla eorum teftantur fyftemata juris, aut id faltem confulto reticuere, ficuti reliqva jus proprie Islandicum conficientia.

N. L. 3—10—4 et 6—18—4 de dolofo ufu menfuræ et libræ auctoritatem in Islandia

*) Qva demum ratione in aliis cafibus codex norvegicus vel foret norma, vel tantum confulendus notavimus p. 10—11.

dedit edictum d. 18 Jun. 1784. De 4—8—1 qvod hic satis est annotavimus §. 15 p. 114. *Majorem excommunicationem* juris antiqvi ecclesiastici, de cujus formulis speciatim egit *liber sacrorum rituum Christiani Vti* Cap. VII, abolens Rescriptum d. 26 Junii 1782, ejus loco in Islandiam introduxit varios articulos N. L. 6—9 c. et qvadantenus 6—3—8, 9. Partim respectu Rescr. d. 19 Febr. 1734 de formulis processualibus juris Norvegici, partim Rescr. d. 17 Febr. 1769 de successione ab intestato &c. et deniqve edicti d. 13 Junii 1787 c. 2, plurima N. L. 5—13 cap. præsertim ad art. usqve 46, ceu his argumentis arctius connexa, Islandos indubie obligare existimamus, jure in specie *Cambiali*, juxta normas N. L. 5—13 cap., edictis d. 17 Nov. 1786 et 13 Jun. 1787 etiam introducto, qvatenus recentiora his non derogaverint, in specie Programma d. 22 Mart. 1813, qvod tamen nihil detraxisse videtur edicto d. 13 Jun. 1787 2 cap. §. 20, ceu legi specialissimæ, respectu cambiorum inter Islandiam & regiones europæas Danico sceptro subjectas.

Si N. L. 6—13 capitis præcepta de mulcta & pœna pro tertia vice aut sæpius iterato stupro indubie introduxerit Rescr. d. 25 Jul. 1808 §. 10, analogiam juris inter præcepta de stupri et adulterii pœnis difficulter posse conciliari, et dudum animadvertimus §. 17 p. 120—121, et infra §. 25 inter nonnulla exempla *præcipuorum juris islandici vitiorum*, qvasi generali qvorundam conspectu uberius illustrabimus.

Si igitur pauca exceperis edicta, rescriptave, aut legis Norvegicæ *Christiani Vti* unius alteriusve articuli aliqvem in Islandia usum jubentia, aut indirecte singulos tantum laudando, parum reliqvarum Norvegici codicis legum reges nostri hactenus Islandis tulerunt legem. Fallitur enim qvisqvis considerando qvævis edicta Danico-Norvegica, omnesqve iisdem laudatas leges, edicta, rescripta, decreta &c., si modo in Islandiam fuerint transmissa, et ibidem promulgata, hanc eo ipso actu insulam exinde obligare, cum paucissimæ talium nec ullo respectu huic conveniant, nec possint exerceri, nec deniqve sola allegatione populo pernotescant. Qvæ thesis

alio licet non egeat argumento, corroboratur tamen decreto regiæ Cancellariæ danicæ d. 14 Maii 1803, a vulgatione lingva islandica curæ judicum regii tribunalis generalis in Islandia sive superioris decreto ejusdem d. 2 Aug. 1800, ante demandata, excipiente omnia edicta, huic soli insulæ nec data, nec eam speciatim attingentia, qvo ipso reliqva considerantur ceu leges Islandiam non obligantes.

Nulla igitur Norvegico codici præ Danico, qvod ad reliqva illius præcepta lege huic insulæ non injuncta pertinet prærogativa competit, cum nihil qvoqve horum, exceptis tantum paucis illius supra laudatis argumentis, rex jusserit Islandis legem; aut, qvâ talem promulgari, nec ullam horum cum Islandorum jure, indole, necessitatibus, vitæ genere, moribus, cultura &c. agnoverit convenientiam, qvam neqve ipsis insulæ tribunalibus reliqvit dijudicandam, verum contra eorum interdixit usum, cum ex antiqviore islandico jure causas solummodo discernere oporteat, codice vero Norvegico in solis causis arbitrariis tantum consulto. (cfr. p. 18—19).

Ex antedictis insuper apparet: nullum dari edictum, ut supra demonstravimus, libri 2di Codicis Norvegici probans auctoritatem ceu juris islandici subsidiarii, neqve alias in causis ecclesiasticis agnoscimus hic jam vigere leges, qvam nonnulla juris *Arnœani* præcepta, præter *statutum Gissuri* de modo decimandi, *Ordinationes ecclesiasticas Christiani IIIii & IVti*, unacum *articulis Ripensibus* et *Christiani Vti* libro de sacris ritibus, et specialia edicta Islandorum res ecclesiasticas attingentia, nec deniqve ullum usus alienarum legum hac in insula justum dari titulum.

§. 21.

IX. *Christiani* regis Vti librum sacrorum rituum promulgatum Ao. 1685 Islandis duobus postea annis observandum rex transmisit. Ao. licet 1719, ut supra memoratum §. 16, jam dudum pernota fuerit ejus cum insulæ natura populiqve indole et necessitatibus disconvenientia, parum tamen innovationum hunc librum hucusqve recepisse novimus, præter abolitionem excommunicationis majoris, jussu Rescripti nuper laudati (p. 131)

d. 26 Jun. 1782, aliqvam formulæ baptizandi edicto d. 7 Maii 1783 præceptam mutationem et perpauca minoris momenti alia.

§. 22.

X. Legum emendationes, antiqvo jure *Réttarbœtur* dictæ, s. specialia ad Islandos edicta regia, rescripta, decreta, si ibidem fuerint proclamata, nec non eadem lege, nonnulla Danico-Norvegica, modo hujus conveniant insulæ usibus, magnam juris islandici hodierni conficiunt partem.

Demonstrata supra §. 11 difficultate, cui obluctari tenetur Jurisconsultus, disqvisiturus qvænam edicta Islandiam hodie obligent, eorumqve fidam, integramqve acqvisiturus collectionem, nonnulla præcipuorum hic paucis animadvertere superest, qvatenus extraordinarias juris islandici imperasse videntur immutationes. Præter varia talium, respectu jurium ecclesiasticorum et alias supra allegata, his certe annumeramus:

1º. Regis *Christiani Imi* (*Laungu Réttarbót*) *longum edictum*, sic appellatum, d. Ao. 1450, ob immodicam ejusdem severita-

tem expreſſa poſtea lege in pauciſſimis non-dum temperatam, æqve memorabile ac dete-ſtatum, cum permulta etiam leviora delicta, vel qvæ iis vix ſint annumeranda, pœna plec-tat perduellionis, bonorumqve publicationis v. gr. §. 4 — 7 pluribus ſtipatus comitibus in ipſa inſula ſi qvis proficiſceretur qvam ibidem præceptum; plures, qvam domini prædia in-habitent, ſi famulos ſive comites haberet, et §. 13 ſi maritos in famulitium reciperet, & deniqve §. 22 ſi vel ſcabinorum ſ. judicii con-ſeſſorum munere fungi, juxta Choronomi vel Nomophylacis deſignationem qvis recuſet ſive jurisdictionem differri auctor ſit ſive deniqve injuſta ferat ſuffragia. Qvæ edicti pœna ſtricto jure horum reis adhuc comminatur perduellionis pænam; cum N. L. 1—5—3, non formalia proceſſus, verum realia præci-piat, adeoqve juſſu Refcr. d. 19 Febr. 1734 nullius in Islandia ſit auctoritatis, cum qvoqve edicta d. 23 Dec. 1735 §. 4 & 16 Nov. 1764 §. 15 alias iniqvis judicibus, non vero proprie ſcabinis, indixerint mulctas; præterea vel re-cuſatio ſcabinorum muneris vel judicii pro-craſtinatio eorum abſentiæ cauſa longum hoc

edictum, adhuc eandem iis comminatur pœnam.

29. Qvod *Christiani* regis IIdi confirmatio d. Ao. 1514 omnium *Haconis* regis *Magni* filii edictorum norvegicorum, hæc simul Islandis ceu leges tulerit (cfr. §. 14. p. 101) qvorum tamen edictorum fidam, integramqve comparare collectionem multo difficilius reddidit juris islandici studium.

30. Edicta d. 29 Nov. 1622 et 10 Dec. 1646 magnam juris islandici, qvatenus ante fuit exercitum, immutationem procreavere. Variis enim iis abolitis abusibus magni satis momenti, vendenda prædia proximo consangvineorum, uti memoravimus §. 8 p. 34—35, offerri jussit, simulqve obedientiam omisso ex libro *Landabrigdab*, dimidio (vel integro) capiti ejusdem argumenti severe imperavit. Posterius insuper omnia prædia ter in judicio pagi, semel vero in generali insulæ judicio superiore proximis, primo secundove consangvinitatis gradu cum venditore junctis, antegvam venderentur, publice offerri injunxit, qvibus neglectis, emtor prædii ita non oblati

dominio privaretur, arbitrarie insuper mulctandus.

Hæc edicta eo insigniora censemus, qvo magis primam fere occasionem *jus Odelicum* in Islandia exercendi, sive gentilitia prædia retrahendi dederunt. Pergratum hocce Norvegis nihilotamen minus admodum ambiguum jus, licet *Haraldi Pulcricomi* ævo longe remotiori originem debeat, ex conjecturis saltem *Paulli Vidalini,* primæ nimirum Norvegiæ inhabitandæ occupationis *), nec ex Islandorum historiis, neqve antiqvissimo jure probabitur, Norvegos, vacuæ et desertæ Islandiæ primos inhabitatores eorumve posteros ullam hujus antiqvi patriiqve juris conservandi exercendiqve hic curam habuisse de qvo ipsa lex Islandiæ civilis *Grágás* nihil idcirco

*) Vocem enim *Odal* ab *al* omnis et *audur* vacuus derivat, ita ut fundum omnino vacuum nón inhabitatum primo ævo denotaverit, unde *allodium*, adeoqve voce *Odal* proprie exinde indicari fundum avitum a tempore immemoriali vacuum eadem occupatum et inde possessum prosapia.

agit. Jus ergo retractus gentilitii ejus saltem ævo hic nullius fere fuit usus. Codex legum islandicus *Járnsída*, *Hákonarbók* dictus voces adhibet *Odal* et *Odalsvitni* (vide *Erfdatals* 2 c. et *Landabr.* 1 et 8 capp.) sed reverâ nihil amplius de *jure* agit *Odelico*, nec de illius natura, etsi tam leges *Haconis Adalsteinii*, qvam *Magni* regis *Gulathingenses* libr. *Landabr.* *b.* et vetustiores id exactius exhibeant. Sic *Magni* regis *lex Gulathingensis Landabr. b.* 2. c. ad *jus Odelicum* fundi cujusdam, acqvirendum, ejusdem prosapiæ sexaginta aut plurium annorum possessionem exegit; Odelicis præterea annumerans prædium "*er þrír Lángfedgar hafa átt og komid undir hinn 4da samflytt;*" Præfatio codicis *Jónsbók* mentionem qvidem facit fundorum *Odelicorum* eorumqve juris retractus. Vox *Odal* præterea occurrit *Kristindómsb.* c. 3, *Mannhelgisb.* c. 4, *Arfatökur* capp. 1 & 4 ullo tamen sine præcepto qvid ad jus *Odelicum* fundi obtinendum vel modum prædia reluendi exqviratur.

Jus qvoddam retractus congruenter cum antiqviore jure islandico, *Grágás* nempe et

Járnſîda, Landabr. b. c. 1 præcipit, codex *Jónsbók*, nullo tamen juris *Odelici* habito reſpectu, cum unumqvemqve, etiam non *Odelicum*, retrahendi fundum jus concedat, ideoqve ceu jus *Odelicum*, variis qvippe anguſtisqve admodum circumſcriptum retractus periodis, non eſt conſiderandum. Sic ex *Landabr.* cap. 1 minorenni jus competit olim proprium reluendi fundum, qvem tutor eo minorenne vendiderit, intra decem annos, ex qvo præſens maturam, ſive viginti annorum contigit ætatem, niſi debiti hæreditati incumbentis, alia non fuerit ſolvendi, vel ipſius minorennis proſpiciendæ ſuſtentationis ratio. Sic (ex c. 2 ibidem) proximo migrationis tempore, ex qvo ſenex 80 annorum aut lecto affixus lethali, prædium ſine majorennium hæredum venia vendiderit, hæredi hoc retrahere licet, qvod prius legis præceptum codicis *Grágás Erfdatalsb.* 18 c. ceu fundamentum agnoſcit, nihil cætera de jure Odelico continens.

Nulla igitur apparet ratio, cur jus retractus, Odelici tantum fungi poſſeſſione circumſcribatur, jure islandico, qvod nihil de

Odelico jure præcepiſſe videtur, etiam reſervando, proximis conſangvineorum jus retractus omnium in genere prædiorum, anguſtis admodum circumſcriptum limitibus, in familiarum tamen qvalemcunqve conſervationem, uti ſupra p. 39—42 demonſtratum, excepto tantum jure minorennis ſupra memorato, filiiqve natu maximi prædium principale reluendi, qvod etiam nepoti ad certa propatruorum prædia reſervat *Erfdatals* c. 1. ſine ullo juris *Odelici* aut uſucapionis reſpectu, etſi hoc qvoqve minorennium jus edicto d. 14 Jan. 1771 jam arctius cohibeatur. Sic hypothecario jus competit, aliis venditum, illi vero ante in hypothecam datum prædium retrahendi intra duodecem menſes (*Landabrigdab.* 11 c.); idem qvoqve ei, qvi jure tantum gaudet *protimiſeos*, qvod etiam antiqva lege *Járnſida* et ſimile qvid codice Grágás *Landabrigdab.* 14 cap. fuit cautum. Nulla vero juris *Odelici* veſtigia hi produnt loci. Nec aliud vox *Odal* in confirmatione *Magnæ ſententiæ* (*Stóradóms*) d. 1565, qvam in genere *prædia* denotare videtur, a publicatione bonorum ob crimen inceſtus excipiendo *Odul* &

Erfdagóts, qvo nomine prædia ruſtica, nullo etiam jure Odelico onerata, jure islandico communiter veniunt, v. gr. edicto d. 15 Apr. 1776, §. 9.

Integrum vero, vel ſaltem dimidium hic ſupra p. 36—38 depromtum caput, ut audit, *Odelicum*, noſtrates codici *Jónsbók* conſulto excluſiſſe his propriam juris *Odelici* averſationem abunde teſtatur. Nec multa poſt editum de jure retractus et oblatione prædiorum proximis conſangvineorum edictum d. 29 Nov. 1622 animadvertimus exempla hujus inter noſtrates uſus, nec crebra, etſi nonnulla, recentiore unqvam extitere ævo, etſi vendendorum prædiorum oblationes edicto d. 10 Dec. 1646 & Reſcr. 25 Apr. 1652 denuo fuerint inculcatæ. Raræ qvoqve admodum reperientur, ſi vel cauſarum ad generale Islandiæ dicaſterium provocatarum elenchum per integri ſeculi temporis curſum perluſtremus, qvæ de jure retractus gentilitii verſatæ fuerint cauſæ, rariſſimæ tamen islandicæ ad ſupremum regni appellatæ tribunal, vix unicâ vel duobus plures. Nec, ut ſupra p. 130 annotavimus, priusqvam Anno 1776, re-

ſcripto nimirum d. 28 Mart. e a., edictum d. 14 Jan. 1771 in Islandia fuit proclamatum, eoqve ſimul juris Norvegici de jure retractus gentilitii primum introducta ſunt præcepta, etſi nonnulli antea ullo ſine titulo, præſertim poſt editum d. 14 Jan. 1771 hoc de jure edictum, id ſtatim exercere non dubitaverint; non tamen aliæ in jus noſtrum Odelicum poſtea redundavere mutationes (cfr. p. 130).

Obſervandum eſt præterea, nec *uſucapionem*, ſ. *præſcriptionem Odelicam*, nec ullam in genere certis codicis *Jónsbók* præceptis definitam eſſe *uſucapionem*, viginti enim annorum, qvam tantum *Landsleigub.* 26 c. ceu juſtum uſus et fructus exqvirit titulum, ea ſaltem ratione circumſcribitur, qvod nemo hujus jus probet dominii, cui probationi nullum definitum eſt tempus. Nec debitor præſcriptione alterius, ceu omni ſolutus ratione, viginti annorum debiti erogatione, liberatur juxta præceptum *Kaupab.* 8 c., cum creditori, his etiam elapſis, debitorem cogere liceat, juramento purgatorio ſe debito liberare. Receſſus qvidem *Chriſtiani IIItii* §. 50 uſucapionem viginti annorum, ſi modo res, de

qva contenditur, possessori non fuerit oppignorata, vel beneficio usus vel fructus concessa, justum possessionis titulum edixit, rationibus vero §. 18. No. VI. allatis inducti judices, *Recessum* hunc, ut legem Islandis non proprie scriptam, verum *subsidiarium tantum* jus in causis islandico codice non definitis, nihil hujus de usucapione præceptis exactius hic imperasse censuerunt, nec igitur in causis de præscriptione, sive *Odelicæ* sive alius possessionis eum unqvam agnovere normam.

Viginti tamen annorum *usucapionem*, vix ultra præcepta juris islandici, sive *Jónsbók*, *Landsl.* 6. 26 c., indubie intelligit edictum de desertis inhabitandis prædiis d. 15 Apr. 1776 §. 5, numero annorum possessionis licet non definito, prout hic edicto d. 14 Jan. 1771 de usucapione et præscriptione Odelica fuit determinatus *).

Singularem prorsus *centum annorum usucapionem* juri addidit islandico lex muneris gerendi Episcopis Islandiæ data d. 1 Jul. 1746

*) Edictum d. 5 Apr. 1811 Islandiam adhuc ignorare diximus p. 117.

§. 16, respectu *templorum* et *piorum corporum* *), *usucapionis* vero *temporis immemorialis*, capita 52 et 59 libri *Landsleigub*. (*Jónsbók*) de *fundis universitatis*, exhibent exempla **).

---

*) Hæc *usucapionis* species, nomine *longissimi temporis* jure islandico certe discerni meretur, ut contermina *temporis immemorialis usucapioni*. Laudata qvoqve lex d. 1746 congruenter satis cum celeberrimorum Jurisconsultorum doctrina, v. gr. illustrissimi *Hurtigkarlii* (*Private Rets* 2 D. 1 B. p. 229) problema: *utrum res piorum corporum alterius præscribantur usucapione?* affirmative resolvere videtur, ita tamen ut centum annorum superet possessionem, cum articulus laudatæ legis 16us jubeat: "Men fremkommer nogen med langvarig Hævd over "100 Aar, eller og saadanne Breve og Documenter, som klarligen udvise, at nogen Ejendom, Rettighed eller Qvilder ulovlig er Kirken frakommen, som (forbemeldte) *Maldageböger* tillægge dem, eller og siden den Tid "dem er bleven tillagt, da skal vores p. t. "Stiftamtmand og vedkommende Biskop med "nogle fornuftige Mænd, först kiende paa den "samme *Hævd*, eller *det fremlagte Document*, *om* "*det er rigtigt*, förend derefter maa dömmes."

**) "*Svo skulu Almenningar vera sem ad fornu verid hafa*"

Fallitur ergo Nomophylax *Sveno Sölvii* (*Tyrone* Juris), nov. edit. Ao. 1799 p. 123-124 No. 1—4, negando *regis*, *templorum*, *minorennium* et *abſentium* poſſeſſiones alterius uſucapione poſſe præſcribi, cum allegata lex gerendi muneris epiſcopalis d. Ao. 1746 probet contrarium, et præterea articulorum, qvos ille laudat, codicis norvegici, nimirum 3—12—2, 2—21—1, 2—19—5 et 5—3—4, nulla hic ſit auctoritas, ne qvidem ultimi hoc reſpectu, poſt introductum edicti d. 14 Jan. 1771 §. 1, 3, 4, præceptum, qvo *Landabr. b.* c. 1, decem annorum jus retractus minorennibus, ex qvo reverſi ſunt in patriam, et maturam attigere ætatem, conceſſum, nunqvam vero, ut *Sölvius* l. c. docet triginta definitum annis, arctioribus circumſcribitur finibus, ita ut nullum reliqverit dubium minorennium et abſentium jura ordinario alterius uſucapionis tempore præſcribi, definita tamen lege *Landsleigub.* 26 c., reſpectu ibidem enumeratorum.

---

f. "*tempore immemoriali*" denotare videtur, cui ſaltem contermina, vel omnino annumeranda eſt ſupra allegata *centum annorum uſucapio*.

Deniqve non erit reticendum edict. d. 8 Jan. 1635 nec non Refcr. ejusdem dati, fevere interdicens vel Satrapam vel præfectos inferiores donatione fundorum corrumpi, ut colonos adjuvent caufas obtinendi, de qvo rex certior factus, præfectis ideo *prædia* et *Odul* emere interdixit, ubi vox *Odal* fundos tantum denotat nullo juris Odelico habito refpectu, qvod tamen notabile edictum *Mödruvallenfe*, ita dictum (*Mödruvalla-Réttarbót*), *Haconis* regis datum Ao 1313 *) qvodam modo innuere indubium eft, neqve id mirum, cum primitus fuerit Norvegis lex, Islandis vero demum poft confirmationem omnium *Haconis* edictorum â *Chriftiano IIdo* Anno 1514 datam, eas fimul his leges jubentem, (cfr. p. 100); ufum vero illius in Islandia tantas et maxime memorabiles de jure Odelico procreaffe lites, ut rex *Fredericus IVtus* poft plures contrarias prorfus de laudati edicti in Islandia valore latas judicii generalis fententias id ceu adeo exofum noftratibus, ut cogno-

*) Qvod vide collect. *Ketillian.* fub Ao. 1507 p. 108, alterum qvoqve ibidem p. 126.

mine *Réttarfpillir*, etiam Refcripto d. 10 Maii 1704 â reliqvis difcerneretur, tandem edicto d. 15 Maii 1711 jufferit exinde omnino irritum, majorum noftrorum *juris Odelici* averfationem luculenter ultro commonftrat.

49. Programma regium d. 24 Mart. 1662 de homagio five facramento Islandorum regi *Frederico IIItio* ejusqve hæriditario et abfoluto imperio præftando, maximi certe fuit momenti, non tantum ipfius regiminis formæ proclamans immutationem, verum qvoqve omnium antiqvarum legum, juriumqve et privilegiorum Islandiæ, qvatenus abfoluto adverfarentur, vel faltem minus convenirent, imperio, de qva plura infra No. XII, §. 24 animadvertere apta dabitur occafio.

50. Nec multis edictorum, etfi magni admodum momenti, recenfendis, hic immorabimur, exiguam tantum commutationem *juris civilis islandici* jubentibus, veluti de *jure indigenarum* d. 15 Jan 1776, qvod tamen, *nec ipfa lex regia* d. 14 Nov. 1665, in Islandia, qvantum eqvidem fuo, fuerint proclamata, neqve N. L. 1. 1 capiti ullo edicto in Islandia data fit publica auctoritas, qvod ta-

men non impedit qvo minus ejusdem incolæ his teneantur legibus, qvippe qvorum majores folemne facramentum regi *Friderico IIItio*, die 28 Jul. Anno 1662 *) in conventu *Kópavogensi* intra Toparchiam *Gullbringensem* præstiterint, qvo pro se suisqve posteris fidam devotamqve absoluto, hæreditarioqve regis imperio spospondernnt submissionem et obseqvium, renunciatis omnibus antiqvi juris, huic qvodammodo repugnantibus privilegiis; hod facramentum qvamqvam ab universis Islandiæ dictum fuit ordinibus, editæ hâc de re stipulationis facramentalis fidum in ipsa hac insula vix habetur exemplum, neqve judiciorum albis reperitur insertum, neqve pernotum est fatis, licet apographum hujus qvoddam, sine die et anno, legatur in collectione *Ketilliana* T. III. p. 88.

69. De rescriptis *jus Odelicum Norvegiæ* et Ordinem fuccessionis ab intestato nec non modum familiæ hercifcundæ &c. ad codicis Norvegici normam hic definientibus, qvod

*) *Hist. Eccles.* T. III. p. 455.

ad nostrum attinet thema, et qvod jam satis est diximus supra p. 130, posterioris tamen argumenti respectu bene notandum est: Islandiam permulta recentiorum, qvæ N. L. 5—2 capiti aliqvid derogavere vel surrogavere edictorum adhuc prorsus juridice ignorare præcepta, nec non cætera juris *norvegici* de *minorennibus, tutoribus, curatoribus et ephoris tutelaribus &c.*, cum N. L. 3—19 capitis nulla jure islandico sit auctoritas, nec hujus unqvam aut recentiorum subjunctorum eidem edictorum, Islandis præcepta fuerit observantia, neqve publica adhibita promulgatio, qvod et de N. L. 1—21—12, 13 eâdem valet ratione.

Discrimen inter jura obligationesve minorennium et majorennium, qvale jus Danico-Norvegicum id exhibet, diversum prorsus jure comperitur islandico. Hoc enim utriqve sexui annum 20um majorennitatis statuit terminum *), qvem leges Islandis exinde lata;

---

*) *Jónsb. Erfdat.* 15, 20—22, 26. *Framfærsl ub.* 1 et 4. *Qvennagipt.* 2. *Kaupab.* 10 et 24. Edictum *Erici* regis d. 1290 permittit *viduo viduæqve* infra

hactenus non variavere. Danico-Norvegica etenim edicta, juxta legis horum regnorum tenorem jura, obligationesve minorennium, exactius definientia, etsi nonnulla Islandis sint transmissa, prouti d. 26 Oct. et Progr. d. 14 Dec. 1804, non in hac insula sunt exercenda, ceu vario respectu huic inconvenientia, et talia, qvæ juris islandici præcepta de majorennitate utriusqve sexus non immutent, nec ullo modo ad alias applicanda causas, qvam qvæ viginti annis juniores respiciant, si modo ullus horum hic foret usus. Impuberem *sedecem annis minorem* s. "*ómaga*" pupillum censent *Jónsbók Arfat.* c. 21—22 et *Framfærslub.* 1 cap. talem, qvi *proprium acqvirere neqveat victum.* Majori vero sedecem annis, etsi plus valeat, etiam nomen et jura *ómaga* sive minorennis usqve inde ad

viginti annos bonorum administrationem; alterum ejusdem, incerti tamen dati, nec non famosum *Haconis* regis edictum *Mödruvallense*, Anni 1313 (cfr. p. 147) declarant juvenem (aut virginem) viginti annorum, sive majorennem, qvi *viginti numeravit ætatis noctes sanctas.* (*Jólanætur*) vide *collect. Ketill.* T. I p. 128.

viginti annorum ætatem competunt, nec juniori bonorum committitur administratio, nisi viduo viduæve, ut nuper annotavimus, sed eo ætatis provectis omnia majorennis, tam juveni, qvam fœminæ competunt jura, ex præceptis *Framf. b.* 4 et *Qvennagipt.* 1—2 cap.; neqve juveni licuit juniori aut tutorem agere aut matrimonium inire. Cæterum nomine *ómagi* veniunt omnes, tam pupilli, qvam senes vel corporis vel animi ægra laborantes valerudine, et in genere aliorum submissi tutelæ, v. gr. *Framf. b.* 1. *Manuhelg.* 8 cap.

Pauca, qvæ præcipit codex *Jónsbók Arfat.* 19—24, *Landabrigdabr. b.* 8—11 capp. *Kaupab.* 22 c. e. s. p. *de tutela, curatela, hæreditatum administratione, jure pignoris &c.* jam nostri ævi necessitatibus parum sufficiunt, desiderata adhuc lege de instituendis albis fide dignis hæc omnia legali modo et ordine comprehendentibus summaqve eorum moderaminis cognitione. Talem vero urgentem agnoscunt necessitatem præmissæ Rescripti regii commissorialis d. 23 Apr. 1802 ad Islandiæ collegium judicii generalis s. superioris, ju-

bentis eos de his infulæ convenientem condere rogationem, cui præcepto illico fuit obtemperatum. Lex autem talis, dum defideratur, *jus* noftrum *islandicum magno* certe *vitio* laborare jufte cenfebitur.

Deniqve non erit fuperfluum hic animadvertere fucceffionis ab inteftato et familiæ hercilcundæ rationem ex præceptis Refcr. d. 17 Febr. 1769 et N. L. 5—2 cap. variis in Islandia fubjectam effe exceptionibus, cum ibidem N. L. 5—4 capitis nulla fit auctoritas, plena vero *Jónsbók: Arfatök.* 28 cap. et *Framf. b.* 8 cap. *de donationibus*, qvocirca etiam *Arfat.* 19 caput interdum erit applicandum.

79. Ex numerofa fatis copia recentiorum edictorum, refcriptorumve, vel Islandiæ gubernationis, vel ejusdem commerciorum, vel juris islandici et in fpecie criminalis fyftemata infigniter immutantium, qvorum nonnulla Daniæ qvoqve funt leges, hæc pauca excerpere jam fufficiat: Edictum d. 3 Maii 1650 et Progr. 4 Maii 1778 de jure litoris in Islandia, ceu infigne libri *Rekabálks* additamentum. Fundationem ergaftuli islandici d. 3

Mart. 1784., edict. d. 20 Febr. 1789, Rescripta d. 25 Jul. 1808 et 3 Maii 1816 diversa jubentia juris criminalis principia, singularissimum tamen Progr. d. 24 Mart. 1786, qvod, ceu lex Islandorum specialis, cui recentiore non sit derogatum edicto d. 20 Febr. 1789, dum consideratur, inter *pœnam furti irruptione* in habitacula patrati jure danico et hoc islandico definitam, penitus tollit analogiam juris, si qvorundam judicum comprobentur placita, illud programma ad reatum gravissimi ob furtum irruptione commissum supplicii, nec exqvirere noctu id fuisse patratum, nec ut in habitacula, sed in aliqvam tantum domum, aliis propriam, casam licet vel pergulam solitariam, remotam etiam ab ædibus inhabitatis, et qvidem multo die sit irruptum, nullo præterea habito respectu, sive, vel infirme clausas recludendo fores, sive cæspite qvodam tecti remoto, ullis an nullis in defensionem munitus instrumentis irrepserit fur. Sævius hoc, cum jure Danico male analogum, nonnullorum placitum, his potissimum nititur argumentis: laudatum Programma d. 1786 nullum irruptionis, noctu,

interdiuve hic fecisse discrimen, nec expressione legis *Folkes Huse* aliud intelligi, qvam *ædes hominibus proprias*, cum edictum d. 4 Marr. 1690 non sit Islandis lex promulgata. Tanta vero tamqve lubrica legum anomalia vel ambiguitas, etiam *vitiis juris islandici* non immerito forte annumerabitur.

Programma d. 18 Aug., edicta d. 17 Nov. 1786, 13 Junii 1787 et 11 Sept. 1816 statum commerciorum prorsus immutasse, introducto præterea N. L. 4—8—1, et *jure Cambiali*, unacum pœna *dolosi usus falsæ mensuræ et libræ* ex ejusdem codicis præceptis, edicto d. 18 Jun. 1784, dudum diximus p. 130.

Insignes justitiæ administrationis emendationes, edicto d. 3 Jun. 1796, nec non institutorum ad transigendas lites communem utilitatem, edictis 10 Jul. 1795 et 20 Jan. 1797 procreatas, hic uberius demonstrare omnino supervacaneum duximus.

Edicta d. 17 Jul. 1782 *de modo decimandi* et 16 Julii unacum regio decreto ejusdem dati 1817 de Taxatione annua magistrali *Capituls-taxt* dicta, exinde in Islandia consti-

tuenda magnam computationis et modi decimas, publicaqve erogandi tributa, a Statuto decimali *Gissuri* episcopi et *Jónsbók* Þegnskylduh. 1 cap. recentioribusqve edictis et decretis, videlicet Rescr. d. 21 Apr. 1619; 15 Maii 1705 &c. cfr. §. 22, diversitatem injunxerunt, de qvibus tamen inter Jurisconsultos plura versantur dubia. Rescr. d. 26 Junii 1782 abrogatione *excommunicationis majoris* maximam nactum est celebritatem. Respectu deniqve peculiaris modi procedendi et juris-dictionis in *omnibus causis cameralibus* et *ex tributis consumtionis* oriundis, qvæ *prima instantia* a judicio generali Islandiæ s. superiore sunt dijudicandæ, sessionibus extraordinariis, rescriptum d. 28 Aug. 1789 inter gravioris momenti imperata referri meretur.

§. 23.

XI. *Templorum Libros Daticos* (*Máldaga*) lex gerendi muneris episcopalis d. 1 Jul. 1746 §. 16 jussit tam magistratui, qvam tribunalibus legem in omnibus, qvæ de illorum juribus aut possessionibus versantur caussis; respectu vero inventariorum, ornamen-

torum & inſtrumentorum eundem tribuit valorem eccleſiaſticis epiſcoporum poſt reformationem indicibus. Horum igitur *librorum daticorum* auctoritatem rex edixit legitimam:

1o. Pro Dioeceſi *Skalholtenſi:* Epiſcopi *Vilchini*, d. Ao. 1397, cui Reſcriptum d. 5 Apr. 1749 ſubjunxit: epiſcopi *Gislonis Jonæi* d. Ao. 1575.

2o. Pro *Holenſi* Dioeceſi: a) Epiſcopi *Jonæ Erici Calvi* (qvi hac lege mendoſe *Thyrechſon* appellatur) d. Ao. 1360. b) Epiſcopi *Petri* d. Ao. 1394. c) Epiſcopi *Auduni Rufi* d. Ao. 1319 *). d) Epiſcopi *Olai Rögnvaldii* d. Ao. 1461 et Paſtoris cujusdam *Sigurdi*, poſt reformationem concinnatum; qvorum omnium utrum adhuc authentica ſuperſint exempla, necne, difficulter probabitur. Qvomodo vero templorum, contra horum librorum documenta, vel uſucapione centum annis majore præſcribantur jura et poſſeſſio-

*) Annum qvidem lex hæc regia exhibet 1398, cum vero *Audunus* epiſcopus *Norvegiam* petierit Ao. 1320, ibidemqve in Febr. ſeqv. anni fatis functus, concinnatum eſſe oportet ante, vel circa 1319.

nes, vel aliis probationibus, docuimus pag. 144—145.

§. 24.

XII. *Antiqvis judicii generalis nonnullis sententiis* et *statutis*, qvatenus recentioribus edictis illis non est derogatum, ipse codex *Jónsbók* vim legis tribuit.

Paradoxa licet primo intuitu hæc videatur thesis, nihilotamen minus recta probabitur, ut antiqviori innixa juri. Nam anteqvam Islandia Norvegico parere cæperat sceptro, propriis hæc parva respublica gubernabatur legibus, *Grágás* nimirum, *juribus ecclesiasticis* et Statuto *Gissuri* episcopi decimali. Ipso vero submissionis actu Islandi sibi stipulabantur solummodo *islandicis regi legibus*, spondentes contra invariabilem fiduciam Norvegiæ regi, eiqve tributum et obseqvium præstare, non tamen jure ullâ sine restrictione leges ferendi ad eum solum delato. Historia videlicet *Arnæ* episcopi, c. 29 nos docet, incolas Anno 1281 tum dudum regio subditos imperio, Legato *Erici* regis *Lodino Lepp*, receptionem codicis *Jónsbók* ullâ sine exceptione,

in judicio generali expoſtulanti, reſpondiſſe: "*ad þeir mundu þad ei giöra, ad tapa ſvo frelſi* "*landſins*." "Rómadi almúginn, ad ómögu-"legt væri, ad vera undir hvörjutveggja, 40 "*óbótamála*, er í bókinni ſtódu og 35 banna, "er í brefinu vóru." ɔ: "*Eos tali modo patriæ libertati non renunciaturos*." "Populus proclamavit: impoſſibile eſſe codici legum, 40 crimina inexpiabilia declaranti, et literis (archiepiſcopi) 35 anathemata continentibus, ſimul obnoxios eſſe." *Arnas* enim epiſcopus literas Archiepiſcopi *Jonæ*, novum probabiliter ejusdem jus eccleſiaſticum Islandis obtrudentes, prout *Bergis* factum anno præcedente, jam palam recitari curaverat *).

Poteſtas itaqve regum eo ſaltem reſpectu inde usqve ad abſolutum eorum imperium admodum erat circumſcripta. Probat ſcilicet hiſtoria patriæ, *Arnæ* imprimis epiſcopi, huncce virum duorum legum codicum, *Járnſídu* nempe et *Jónsbók* receptionem in Islandia valde difficilem reddidiſſe; incolas utrumqve recuſaſſe, etſi regio ſubjectos ſceptro;

*) Cfr. etiam *Hiſt. Eccleſ.* T. I. p. 444—446.

viros idcirco delectos â rege in Islandiam fuisse ablegatos; Prudentiam *Lodini Lepp* studiumqve, objectiones eatenus superasse, ut codex demum incolis saltem non omnino invitis, fuerit obtrusus, ita tamen ut judicium generale contra hunc codicem multas ad regem statim detulerit recusationes, qvales etiam contra *Járnsídu* expositæ, hujus paullo ante incitaverunt abrogationem, codicis vero *Jónsbók* varias emendationes pluribus postea edictis regiis. Has ipsum rogavit judicium generale, qvasdam propria addidit auctoritate*). Immo ipse codex *Jónsbók*, *Þíngfb*. c. 4. tale huic judicio concessit jus, *omniaqve lege vel omnino non, vel non satis dilucide descripta ex æqvo et bono decernere et regulare*, sive *statutis* in posterum *cavere*. Si dissenserint judices Nomophylacis prærogativa sententia controversa dirimeret suffragia. Hujus decreta et sententias nemini, neqve ipsi regi nisi prudentissimorum virorum uso consilio, licuit

*) Vide v. gr. *statuta* 15 & 16, regiis edictis ad calcem vulgati codicis islandici addita; vel 13, 15 & 16um ad calcem danicæ versionis.

immutare, etsi vel injustam tulerit sententiam, *constituti* qvippe "*auctoritate lege superiore*" ibid. c. 9. "*Þvíad hann er yfirskipadur lögin*" leges nimirum, interpretaturus, emendaturus, immo qvoqve rogaturus (cfr. *Mannhelg. b.* 2 cap.). Hinc omnes incolæ usqve ad absolutum regum imperium, immo (ut docuit doctissimus *Johannes Erici**) ad exitum usqve seculi 17i universas consultationes et demonstrationes publicos usus respicientes, generali primum judicio insinuavere, cum ipsi etiam Satrapæ hujus Collegii deliberationi commiserint plurima, qvæ necessaria duxerint præscripta, rogationes legum, sive latarum, si opus fuerit, immutationes, de qvibus demonstrationes statim vel ad regem vel ad Satrapam hoc detulit tribunal; alia ipsi qvoqve reges ejusdem mandavere deliberationi, sententiis præterea ipsius et sæpius respectatis et comprobatis, partim expresse, partim tacite, cujus exempla sistunt (*Stóridómur*) *magna sententia* d. 1564, *Bíaskérsdómur* d. 1640

*) *Arnesens* Rettergang c. 13 (qvod *J. Erici* est) p. 456—457.

& pl. Edictum præterea regis *Haconis* codicis *Jónsbók* Þíngfararb. capiti 6to insertum, huic judicio generali commisit *Statutum* de captura vulpium condere, et sic pl.

Hinc est, qvod varias judicii superioris de edicti *Mödruwallensis* vel nullo, vel aliqvo saltem valore in Islandia, etiam post ejusdem unacum cæteris *Haconis* regis edictis Anno 1514 â *Christiano IIdo* editam confirmationem, ut nuper memoratum p. 81, reperiamus sententias, qvarum una, nomine *Spialdhagadómur* insignita, ut lata in prædio *Spialdhaga* intra Toparchiam *Eyafiardensem* Ao. 1495, *Haconis* laudat edictum, huic concedens tribunali *"rogare leges, vel ab ipso rege "condendas non sine consultorum virorum et in- "colarum consensu"* *), qvod et de plurium legum valore contigit. Hinc qvoqve variis judicii generalis sententiis, decretis, statutis &c. legalis adhuc tribuitur valor, qvem vel ipse rex nonnullis, recentiora qvibus edicta nil derogaverint, tribuere videtur. Sic v.

---

*) Cfr. p. 96 et collect. *Ketill.* Annum 1507 p. 115—119.

gr. *tributum donativum* ad regem sæpissime erogatur, ex præscripto solummodo sententiæ judicii generalis d. Ao. 1574 vel 1575 *), qvæ hoc a toparchis et præpositis ad regem transtulit tributum, voluntariô primum erogatum circa annum 1380, reverâ ceu largitio hos corruptura, vel saltem inductura â persecutionibus ob culpas vel peccata leviora abstinendi. Hujus tributi erogandi modus insuper fundamentum nonnusqvam agnoscit, et varias judicii generalis sententias, qvarum jam manu versamur tres d. Ao. 1566, 1622 & 1623, ejusdemqve *statuta* d. Ao. 1680 & 1686, post introductum absolutum imperium etiam edita, reqvisito præterea vel Ao. 1679 et sæpius hujus tribunalis hac de re decreto,

*) Patet itaqve *tributum donativum* reditibus mulctarum, qvos sibi Rex reservavit literis *Canutum Stenonis* instruentibus d. 16 Apr. 1556 non fuisse complexum nec aliqvid de computatione hujus tributi statuit rescriptum d. 21 Apr. 1619, aut cuinam debeatur, verum solummodo qvibus expendatur rebus. Cætera laudatæ judicii sententiæ et statutis, ceu fundamento innituntur.

nec alia lex hoc tributum, regi jam debitum, unqvam irrogavit, qvod idcirco vario expenditur modo, in toparchia tamen *Gullbringensi* a communi saltem admodum diverso.

Antiqvæ qvoqve consvetudini, sententiis demum judicii generalis, videlicet Ao. 1590, 1596, 1599, 1654, 1661, 1669, 1672, 1678 et pluribus sæpius confirmatæ, *alterum* qvoqve *tributum*, regi jam solvendum, originem debet, nomine *Manntalsfiskar* insignitum a piscatoribus, præsertim intra toparchias *Gullbringenses* et *Snæfellsnesenses* victum qværentibus, si modo domicilia extra illarum habeant fines, forsqve capturæ in priore numerum 60, in posteriore 30 piscium nnmerum excedat per integrum hiemalis piscationis tempus, qvo tamen tributo, in priore ad erogationem 6, in posteriore 4 librarum piscis arefacti definito, famuli præfectorum publicis muneribus, viduarum, vel scabinorum antea munere functorum sunt exemti jussu regio d. 9 Apr. 1781 et 13 Jun. 1787 *).

---

*) De origine hujus tributi, legi qvoqve meretur collectionis *Ketillianæ* T. III. notula p. 92-93.

De æſtimatione nummorum uncialium ad tributa regia aliosqve reditus expendendos, eo gravioris momenti ſententia judicii exiſtit generalis d. Ao. 1608, qvo majora hoc 190 ſeculo de talium juſtâ erogationis ratione ex præceptis Codicis *Jónsbók* vexata ſunt dubia, nec ullum regium hæc penitus ſuſtulerit edictum.

Prolixo ſatis plurimum *conſvetudinum* recenſu jam ſuperſedebimus, Jurisconſulto Islandico admodum licet ſint neceſſariæ, ad hunc obſcuri juris islandici labyrintho explicandum, præſertim qvod ad publicæ diſciplinæ, pauperumqve attinet curam, de qvibus regiæ cum plerumqve ſileant leges, plurimi præfectorum, vel noſtro tempore ſanctiſſimo legislatorum fungi munere non hæſitaverunt, abſurda ſæpe nonnulla et incongrua prorſus cum anteceſſorum principiis, ceu normas præcipientes publicæ utriusqve curæ. *Statutorum* igitur et *antiqvarum judicii generalis ſententiarum* magnus certe foret uſus, ut indubiæ fere auctoritatis ad diem usqve 28 Jul, 1662, cum ordines *Islandorum* omnes, abſoluto ſub-

missi imperio, antiqvis eorum privilegiis et juri de legum rogationibus et receptione exinde consultandi, renuntiavere, de qvo supra, nec non p. 96 qvod jam satis est, diximus, si modo authentica talium *antiqvioris ævi statutorum, sententiarumve*, vel saltem fida daretur collectio, cum ipsa lex, hæ licet variis pro diversa temporis ratione nitantur principiis, Rescriptum videlicet d. 19 Febr. 1734, ex antiqvis statutis potius, qvam jure norvegico decerni jusserit causas, de qvibus jure islandico nil fuerit definitum, qvemadmodum Rescr. d. 11 Maii 1708, tale qvoddam satrapæ statutum d. Ao. 1596 ceu legem agnovit, variis præterea rescriptis v. gr. duobus d. 14 Apr. 1688, nec non d. 18 Jun. 1717, 29 Maii 1719, 16 Maii 1760, §. 4 &c. sit cautum, eas dijudicari *"prout moris fuerit,"* *"pro usu moreqve recepto"* *"jure et more islandico"* *"pro insulæ conditione"* novasqve leges *"cum islandico more et consvetudine congruas"* rogari, ultimum imprimis rescriptum conditores novæ legis islandicæ hujus rogatione *"a communi usu et consvetudine vetat discedere"* e. s. p. Cum deniqve

ſuperiorum hujus inſulæ judiciorum decretis tantum, vel Anno 1817, tribuatur ponderis, ut eccleſiaſtici etiam conventus ſynodalis decretum, rectius monitum epiſcopale d. Ao. 1751, ejusqve modi plura islandico recepta uſu, *antiqvis islandicis plenæ adhuc auctoritatis annumerentur legibus, ex præcepto Reſcr.* 19 *Febr.* 1734 *), qvæ, ex reſponſo magiſtratus, ceu fundamenta novæ legis tributa inſulæ famulitio irrogantis, videlicet Reſcr. d. 21 Maii 1817, fuerunt adoptata, penſi nimirum diurni Paſtoribus, et dimidiæ candelarum penſionis templis erogandæ, ſi modo bonis, 60 aut pluribus ulnis æqvivalentibus ɔ: antiqva ratione et ex ſententia judicii generalis d. Ao. 1608 duobus nummis uncialibus, gauderent. Actis tamen decretis et ſententiis islandicæ ſynodi eccleſiaſticæ æqvam judicii generalis usqve ad annum 1662 (cfr. p. 96), nulla lex tribuit auctoritatem, nec ullum jus novas rogandi, multo minus ſanciendi leges, neqvidem de iis conſultandi. Neqve ullum talis ſynodi aſſeclis, ut partibus, qvorum in-

*) Vide *Collegial-Tidender* 1817, p. 877—879.

terfuit, in propria caufa fuffragium de ipforum reditibus jufte competiviffe videtur *).

*) Nullum hucufqve edictum, conventus clericorum islandici, ufu loqvendi, *fynodi generalis* nomine infigniti, fententiis vim tribuiffe legis nec ullum præfenti ejusdem formæ jusfum omnino comperimus dediffe titulum. Hoc qvidem judicium Islandis in ufu fuiffe tam ante, qvam poft reformationem Dr. *F. Johannæus* asferuit (*Hift. Ecclef.* T. III. p. 609). Hujus vero poft reformationem convocatio, ordinationibus *Chriftiani IIIii & IVti* nec non *articulis Ripenfibus* etfi debeatur, præfectis infulæ ejus præcipuum moderamen mandantibus, epifcopi tamen, folo cum clero, in caufis mere ecclefiafticis jus dicere fibi fæpius arrogavere, in mixtis vero unacum qvibusdam arceffitis fecularibus, dimidium judicum conftituentibus numerum, qvo *judicia dimidiata* (*Helminga-dómar*) exftitere, Satrapa tamen vel præfecto infulæ femper deinde præfide. Epifcopali vero hierarchiæ, cum hæc civilium auctoritas femper fuerit admodum ingrata, doctiffimus epifcopus *Mag. Brinjulfus Svenonius* d. 3 Jun. 1645 cum duobus præpofitis et tredecem parochis memorabili fatis lata fententiâ hæc *judicia dimidiata* prorfus abolere fibi arrogavit, conftituendo fimul omnes cleros, caufasqve ecclefiafticas à

Ex præcedentibus facile apparebit, gravioris sane momenti Jurisconsulto islandico

---

Præfecto insulæ, episcopo et uno tantum præposito, cui talium proprie competierit jurisdictio, exinde dijudicari (cfr. *Hist. Eccl.* T. III. p. 657—664). Hæc judicii sententia, ulla sine regia confirmatione, vel longo post reformationem tempore, vi legis usu invaluit, ita tamen ut abusus hierarchicus postea sibi adsumserit multitudinem cleri ad annum synodum arcessere, *omnesqve hujus affeclas jure suffragiorum donare*, sine ullo justo titulo, qvem nec formalia processus ex præscripto codicis norvegici, heic post 1718 et speciatim Rescr. 2 Maii 1732 & 19 Febr. 1754 injuncta, neqve N. L. 1—2—12; 1—3—11 vel 1—6—7 talis Synodi conferunt affeclis. Tam anceps abusus ex pluralitate suffragiorum juris minus peritæ multitudinis cleri, jus dicendí, nonnihil hujus dicasterii auctoritati & publicæ forte derogavit fidei. Lex igitur muneris episcopalis gerendi d. 1 Jul. 1746, §. 23, 24, Edict. 5 Jun. 1754, Literæ Cancellariæ Dan. d. 31 Mart. 1787, etsi qvædam de præsidio tantum hujus synodi ordinaverint, analoga cum præpositorum tribunalis, jussu edicti d. 27 Nov. 1816, hujus qvoqve dicasterii non superflua

probari antiqva *generalis judicii statuta*, decreta, sententias et ab hoc confirmatas consvetudines, ceu legali qvodam collegio repræsentativo usqve ad annum 1662, ad exercendas, interpretandas nec non rogandas leges, ubi præcepta antiqviorum desiderarentur, jure constituto, simulqve horum fidam integramqve collectionem esse difficulter parabilem, et deniqve talium statutorum, sententiarumqve male analoga et vacillantia, ut summum præterea fugientia tribunal, dubia sane subordinatis afferre principia, paucis: *qvantis jus nostrum islandicum hodiernum laboret nævis*, qvamqve horum bene deliberata sit exoptabilis remotio.

§. 25.

Hujus qvaliscunqve dissertationis jam demum finem facere ipsius monet ratio, ne fusiore thematis nostri disqvisitione innumerorum fere argumentorum immoremur animadversionibus, collectionem legum, qvæ

---

videtur transformatio, si non dissolutio totalis, qvâ tribunalis.

hodiernum conſtituunt islandicum jus, rudem indigeſtamqve conficere molem, ceu commixtionem maxime contrariarum et heterogenearum legum plurium ſeculorum & terrarum, per longam 722 annorum ſeriem, ſive ab anno inde 1096 ad 1818, non amplius eſſe noſtri ævi culturæ, noſtræqve Islandiæ uſibus convenientem, abunde probantibus.

Præcepta Reſcriptorum d. 14 Apr. 1688, 19 Febr. 1734 et 16 Maii 1760; novam codicis islandici rogationem ad Norvegici, qvatenus inſulæ conveniret, tenorem conformari, huncqve in caſibus, arbitraria dijudicandis ſententia eadem lege ſaltem conſuli, maximam ejusdem uſus, abuſus et diſcriminis anſam dedere. Unusqvisqve enim muneri præfectus, ſive mediocris ſit doctrinæ et ingenii, ſive æqvalis induſtriæ et ſtudii, et inſulæ lingvæ vernaculæ, legibus, moribus, conſvetudinibus, ſtatutis, incolarumqve vitæ generi interdum parum familiaris vix par erit recte diſcernendo, qvid Islandiæ bene conveniat uſibus, qvid vero non. Neglecta igitur talium conſultatione, vel aliis deſtitutus adminiculis, qvoqve ſe convertat neſcius, ad Sy-

ſtemata juris Danico-Norvegici, etſi parum horum Dogmatum adeo diverſæ conveniant terræ vel incolarum indoli & vivendi rationi, illico confugit, abſurda ſæpe exteri (prout jam dici meretur) juris Norvegici applicaturus præcepta, coqve ipſo omnia huic conformaturus contra juris noſtri expreſſa imperata, plurima miſcet et invertit. Sæpe qvoqve ipſarum legum vix eruendâ vexatur analogiâ, vel etiam difficulter aut prorſus non conciliandâ anomaliâ. Non enim mirum videbitur principia Legislatorum â tempore inde epiſcoporum *Giſſuri* et *Arnæ* usqve ad præſens regis *Friderici VIti*, ſive ab Ao. 1096 ad annum usqve 1818, varias cum temporum culturæ, et neceſſitatum viciſſitudinibus magnasqve ſubiiſſe modificationes. Graviſſima tamen, qvâ peritus etiam et religioſus qvisqve premitur moleſtia jurisconſultus, ea merito cenſetur, qvod omni licet adhibita curâ et ſtudio, comperiat, contentorum omnium, qvæ normam muneris gerendi aut jura civiumqve obligationes definiant, legum æqve difficulter comparandam eſſe notitiam ac fida ipſarum exempla. Forte demum ſenex, forte

nunqvam integræ earum collectionis æqve carâ, ac rarâ gloriabitur possessione, ingentem efficientis molem, de qvâ, si universa jurisprudentiæ Danico-Norvegicæ huic addatur seges, plurium annorum indefessum studium aptumqve reqviritur otium exqvirendi, qvidnam hodie aliqvâ in Islandia valeat auctoritate, qvidve ut hujus conveniens usibus, sit ibidem exercendum.

His rationibus probabiliter persvasus celeberrimus *Andr. Höyerus* etiam suo tempore "*jurisprudentiæ islandicæ studium multo difficilius, qvam reliqvarum terrarum Danico-Norvegico sceptro subjectarum*" declaravit *), his qvoqve inducti, longâ qvoqve experientia convicti, hoc certe thema exactiorem mereri duximus disqvisitionem, qvâ *juris nostri hodierni vera eo clarius* innotescat *ratio*, *præcipuisque* ejus detectis *nævis*, urgens simul illius emendationis necessitas.

Si ergo, præter jam dudum supra allata, ut paucis tantum exemplis ex ingenti desum-

*) *Forestilling paa en Dansk Jurist*, 1737. p. 48.

tis copiâ, *præcipua juris islandici vitia* ultro probaturi, consideremus: Leges res ecclesiasticas et clerum attingentes, Islandiam obligantes, qvam parum sufficiant nostris usibus, qvippe qvæ juri ecclesiastico *Arnæano*, reformatione licet magna ex parte abolito, et ordinationibus *Christiani IIIii & IVti articulisqve Ripensibus*, *libro sacrorum rituum*, edictisqve specialibus, singulares tantum N. Legis articulos et præcepta hic injungentibus, in specie de anno *gratiæ ecclesiasticorum &c*, solis fere innitantur. Si præterea defectum legis reditus incertos utriusqve fere ordinis regulaturæ, cum neqvidem N. L. 1—23 capitis jure concedatur norma, qvod Rescr. d. 14 Apr. 1759 abunde comprobat, *usum et consvetudinem* multo magis aperte confirmans; neqve edicti formula d. 11 Junii 1788, cujus usum Literæ Cancellariæ regiæ d. 7 Maii 1791 Islandis expresse vetant, jubendo simul antiqviora edicta ibidem non amplius hâc de re observari, qvæ et pauca exstant, et paucos prorsusqve singulares remunerant actus officiales, iis miserrimam insuper assignantia mercedem, v. gr. Rescr. d. 14 Apr.

1759, ediſtum d. 15 Apr. 1776 de *Conductionibus* §. 9, alterum qvoqve ejusdem dati, *de prædiis deſertis inhabitandis* §. 8, ediſtum d. 24 Jul. 1789 de ædium parochalium inſpeſtione oculari §. 17—18. Solummodo aſtuum remunerationem et itinerum in gratiam mercatorum ex præceptis codicis Norvegici, eoqve pertinentium antiqviorum edictorum poſtulare, præfeſtis muneribus permiſit Progr. d. 18 Aug. 1786, etſi analogia juris inter hoc et interdiſtum literis Cancellariæ regiæ d. 7 Maii 1791, ſit difficilius concilianda. Plures exinde rogationes legis de incertis reditibus regiæ danicæ cancellariæ inſinuatæ, ſanſtionem ſummi adhuc deſiderant imperantis.

Inter præcipua juris islandici vitia pag. 92—93 notavimus hujus defeſtum præceptorum de *ſumma cognitione moderaminis tutelæ, curatelæ, hæreditatum adminiſtrationis* et *alborum in ſpecie pignoratitiorum &c.* in ſecuritatem publicam bonorum tam in genere jurium et poſſeſſionum civilium, qvam in ſpecie minorennium; præterea de *ſucceſſione*

ab intestato et familia herciscundâ; *ætate minorenne et majorenne jure islandico*; et pag. 88 lubricum qvem *usucapioni* tribuit codex *Jónsbók possessionis titulum*; si vero legis de *contractibus* in genere, et in specie de *mutuo*, edictorumqve de his Islandis datorum præcepta, cum recentissimis conferantur juris Danico-Norvegici, non amplius est audendum ad talia descendere pacta, nisi multis præmunito formulis, cautelisqve ex ultimo hoc jure, legali licet sine titulo, mutuatis; iisdem qvoqve opus esse cautelis et formulis juridicis, ad plurimos vitæ obvios actus, pacta et transactiones tuto peragendas, illasqve ex alieno jure mutuare molestam satis necessitatem nobis imponere sentimus antiqvi *vitium juris nostri*, parum de his præcipientis, qvippe qvod fraudulentas, nostro excogitatas ævo, olim forte artes ignoraverit.

De juribus et obligationibus ex variis contractibus, de commercio et navigatione oriundis, prout: *assecuratione* sive *cautione*, *avaria* s. *contributione*, *oppignoratione et conductione navali*; *obligatione Cambiali* &c.

parum aut nihil codice *Jónsbók* eſt cautum, cujus liber *Farmannalög* exigui admodum devenit uſus noſtris temporibus. Legis autem Norvegicæ Libr. 4i perpauca ſolummodo alicujus in Islandia eſſe auctoritatis notavimus pag. 114.

Si vel hodiernum criminale *danico-norvegicum* magnâ adhuç vario reſpectu egere emendatione merito cenſeatur, poſt tantam ultimo ævo, tam gravi negotio conſultiſſimorum virorum conſecratam operam, ad finem pœnarum, ſecuritatem nimirum publicam obtinendum, illis præſertim ſceleratos abſtinendo â violatione jurium ſocietatis civilis, qvid jam de ratione juris islandici criminalis erit concludendum, miſerandam antiqviſſimarum legum islandicarum et danico-norvegicarum farraginem conficientis, et de talium æqve incongrua analogiâ, immo paſſim antinomia? Hujus plurima recenſere documenta anguſti nimium huic diſſertationi præſcripti vetant fines, peculiari itaqve disqviſitione, copioſum hâc de re argumentum et feliciori relinqvimus calamo; pauciſſimis tantum ex-

emplis talem analogiæ defectum jam uberius probaturi:

Magnæ qvidem *sententiæ* (*Stóridómur*), qvatenus huic laudatis No. V. p. 120 legibus non est derogatum, de delictis carnis adhuc in Islandia viget auctoritas. Rescripti vero d. 25 Jul. 1808 §. 11—12, etsi novem thalerorum mulctam *adulterii* prima vice commissi, octodecem vero secunda statuerint, non iisdem sublatum videtur dubium utrum discrimen qvod facit *Stóridómur simplicis* et *duplicis adulterii*, qvo duplices pro hoc duplice crimine irrogantur mulctæ, hoc sit abolitum rescripto, an adhuc erogandæ 18 prima, 36 vero thalerorum secunda vice, a reis adulterii, in matrimonio utrinqve viventibus. De computo mulctarum præterea versantur dubia, cum magna sententia jusserit mulctas pro duplice adulterio secunda vice *dimidiâ augeri parte*, qvod nonnulli ita interpretantur, ut novem tantum thaleri secundâ vice sint addendi mulctæ octodecem thalerorum pro adulterio duplice primâ vice erogandæ, adeoqve secundo 27 thaleri expendendi; qvo tamen

computo mensura negligitur pœnæ, et magnâ sententiâ, et rescripto d. 25 Jul. 1808 adoptata, iteratione delicti mulctas semper duplicare, unacum analogiâ juris, qvæ nec inter præcepta magnæ sententiæ et juris danico-norvegici de pœnâ duplicis adulterii ita facile conservabitur. Neqve inter leges criminales *de adulterii poenâ et stupri tertiô* vel sæpius *commissi*, rescripto nimirum d. 25 Jul. 1808 §. 10 jubente: "*stuprum in Islandia eâdem exinde plectendum esse poenâ, ac in reliqvis terris Danico subjectis sceptro.*" Cum vero stuprum primâ et secunda vice impune jam committatur, tertiâ vero, si cum tribus, diversis virginibus aut viduis intaminatæ famæ fuerit patratum, reus vel morte vel aliâ gravissima sit mulctandus pœna, ex præceptis N. L. 6—13—8, 9, cæterum mulctâ luat bonorum et carcere, si cum tribus foeminis famosis, transitus hic ab impunitate ex jussu Programmatis d. 12 Junii 1812, pro stupro bis patrato ad gravissimam pœnam, in Islandia imprimis eo magis obstupefacit, qvo leviore stuprum antea, ex præceptis magnæ sententiæ, tertiâ vice animadversum fuit pœ-

na, mulcta nimirum duodecem *Orarum*, æqvali 72 ulnis, five duobus nummis uncialibus, et ipfum jam adulterium juxta normam Refcr. d. 25 Jul. 1808, primâ vice novem tantum, fecundâ vero octodecem thalerorum conftet mulcta, regis, præter duorum ad decem thalerorum fummam, juftitiæ ærariis debitâ, tertiâ vero operâ duorum in ergaftulo annorum, jam vero ex juffu Refcr. d. 3 Maii 1816 §. 2 arbitrariô, non tamen decem paucioribus virgæ verberibus, puniatur.

Tantum permixtione legum criminalium diverfarum terrarum, fine confiderato fyftemate unicuiqve aptato genti, juris noftri criminalis vacillat analogia! Plures tamen exfecutioni adulterii pœnæ obluctantur difficultates. Magna enim fententia decrevit unumqvemqve hujus criminis reum, qvi expendendis lege definitis mulctis par non effet, qvamcunqve mulctæ refidentis *Markam* five $1\frac{5}{3}$ nummi uncialis duobus virgæ verberibus effe relüendam, qvæ mulcta refcripto d. 25 Jul. 1808 §. 12 definita, juxta præcepta §. 9, operâ publica aliis elocatâ, jam erit expianda.

Talis vero operæ elocationis hâc in insula rara dabitur occasio, qvocirca adulterium primâ et secunda vice a pauperrimis impune committetur, dum ob stuprum tertiô iteratum, vitæ dispendium reo comminetur N. L. 6—13—8. Analogiæ enim juris, N. L. nimirum, 6—13—28, respectu diversorum prorsus laudati Rescripti præceptorum de mulctarum expiatione, nullus erit usus, cum præterea intra Islandiæ fines jam desideretur ergastulum, in qvo, catenis devincto reo sit laborandum.

Præcepta Programmatis d. 24 Mart. 1786 de pœnâ ob furtivam irreptionem in Islandia cum juris danico-norvegici male analoga annotavimus p. 154—55.

Edictum d. 18 Jun. 1784 p. 130--31 qvidem diximus introduxisse præcepta N. L. 3—10—4 & 6—18—4, de pœna *dolosi usus mensuræ* et *libræ*, ceu speciei *criminis falsi*. Non tamen eadem reliqvis N. L. 6—18 capitis jure tribuenda est auctoritas, neqvidem articulo secundo, de pœna *monetæ regiæ adul-*

teratoris, cum nulla lex illius articuli in Islandia jufferit auctoritatem, nec codicis islandici *Mannhelgisb.* 2 & 4 capp. de talis delicti pœna, abrogaverit præcepta, nec ideo hoc delictum iis fit annumerandum caufis, de qvibus, confulto tantum codice norvegico, arbitrariam ferre concedat fententiam Refcr. d. 19 Febr. 1734, neqve demum Analogia edicti d. 22 Apr. 1778 §. 3, juftum judicibus titulum, legum criminalium pœnas extendendo adeo aggravare, ut famæ, vitæ et bonorum omnium dispendii, reum condemnet delictum, cui lex islandica l. c. profcriptionis tantum et publicationis dimidiæ bonorum partis ftatuit pœnam. Jubet qvidem edictum hoc, d. 22 Apr. 1778 § 3 corruptionem fchedularum ærarii mercatorii pecuniam repræfentantium, puniri vitæ, famæ et bonorum dispendio, *"ceu ob adulterationem regiæ monetæ lege fit cautum," qvod edicto d.* 8 *Mart.* 1737 *qvoqve proclamatum dicitur.* Notandum vero eft, nullo jure islandico corruptionis monetæ hanc ftatutam effe pœnam, nec talem unqvam Islandis aut latam aut promulgatam effe legem; laudatum igitur §. 3 præcipue fubditos Da-

niæ et Norvegiæ, qvibus hæc lex fuit lata et promulgata respexisse, vel legislatorem, saltem tempore hujus legislationis fugisse, aliam jure islandico ejusdem delicti pœnam esse definitam, neqve hoc articulo novam Islandis ob monetæ, sed tantum schedularum laudati ærarii pecuniam repræsentantium, corruptionem irrogasse; hâc deniqve cum multo plus damni et perniciei qvam monetæ corruptione regno sit metuendum, vix eandem, præsertim in Islandia, ubi parum certe monetæ adulteratæ poterit excudi, utrumqve delictum exqvirere videtur pœnam, neqve ideo legis islandicæ remissior, sine expressâ imperantis lege, analogiâ tantum ex edicti d. 22 Apr. 1778 §. 3 desumtâ, jure erit exacuenda.

Jónsbók itaqve *Mannhelgisb.* 2 & 4 capp. edictumqve *Magni* regis *Lagabætirs* d. 1274, qvod etiam magna laudat sententia, etsi authentica illius jam difficulter probanda sit fides, proscribendos tantum et dimidia parte bonorum mulctandos jubet hujus delicti reos, ceu communissimâ pœnâ jure antiqvo delictorum inexpiabilium, immo ab unoqve occi-

dendos, si intra fines regni proscripti postea reperiantur, non vero ob hoc crimen falsi vitæ, et famæ, nec omnium bonorum dispendio. Nec graviorem indixisse videtur pœnam *lex Gulâthingensis Mannhelgisb.* 4 cap. ubi p. 138 (editionis 1817) legimus: "*Nú hafa þessir menn fyrir giört fé og fridi, landi og lausum aurum*" et cap. VI. p. 142 ubi eadem pœna iisdemqve verbis ac *Jónsb. Mannhelgisb.* 4 c. delictis nefandis (*nídíngsverk* et *óbótamál*) statuitur: "*þá fari hann útlægur og óheilagur, hafi fyrigért fé og fridi, landi og lausum aurum*" — "*og komi aldrei í land aptur*" qvo ultimo, ni obtemperaverit proscriptus morte ubiqve erat mulctandus. Severior alias pœna, incongruens fuisset, cum reliqvis principiis juris antiqvi, qvæ jam islandici sunt, v. gr. *amputatio manus vel pedis alterius*, qvod caput 2 delictis annummerat inexpiabilibus, eàdemqve definita pœnâ, olim, vel etiam hodie morte rei puniretur.

Substituta qvidem videtur jure antiqvo pœnæ capitali, proscriptio rei delicti cujusdam nefandi, sive inexpiabilis (*óbótamál* et

níðíngsverk v. gr. *ſkémdarvíg*) ceu æqvipollens, ita tamen, ut lex illam, ceu ſaltem humaniorem, ſi evaſerit reus, ſæpius capitali prætulerit ſupplicio, prout commodâ ſatis ratione, pernicioſo liberari malefactore, qvod, ut eo fieret certius, licitum, immo injunctum fuit, gravi ſub pœnâ, unicuiqve proſcriptos ubivis aut occidere, aut deprehenſos magiſtratui puniendos tradere, præmio pro talium cæde plerumqve promiſſo*), qvod unâ pro levioribus, tribus vero pro ſceleratiſſimis delictis conſtabat inexpiabilibus**), ita tamen, ut penes ipſum fuerit actorem, ſi mallet proſcriptum illico interficere***). Cum igitur proſcriptis nuspiam in eodem regno fuerit tutum, in ſylvis abſconditi vitam prorogare fuerunt coacti, donec tutior

---

*) Confr. *Grágás Vígſlóða* capp. 117—119.

**) *Grettis Saga* cap. 53 "Lögdu þeir *þórir* þá fé til höfuds *Grettis*, 3 merkur ſilfurs hvörr þeirra þad þókti mönnum nylunda, *því aldrei hafdi meira lagt verid en 3 merkur*"

***) *Vigaſcútu Saga* c. 3 et *Giſla Súrſonar* S. c. 22 et 25, qvæ poſterior hiſtoria docet actorem pro cæde proſcripti 3 *Hundrud* (CCC) argenti (ulnarum) interfectori promiſiſſe.

exulandi daretur occaſio, unde *Skógarmenn dicti*, et pœna *Skógargángs* adepta eſt nomen.

Hinc codici *Grágás* fuit proprium ad *Skógargáng* ſ. proſcriptionem ſupplicii loco, nefandorum reos delictorum damnare, qvibus, ignotum ante et fidum belli annunciando rumorem, vitæ pacisqve ex gratiâ regis recuperandæ lex ipſa *Jónsb. Mannh.* 4 c. aliqvam reliqvit ſpem, præter ſimilem antiqviſſimâ codice ſaltem *Jónsb.* non revocatâ lege, datam proſcripto trium talium interfectori *). Qvocirca pœna capitalis rarius antiqvo prævaluit jure. Sic gradus inceſtus vel maxime nefandi, jure *Arnæano* c. 20, minime morte, verum proſcriptione rei et bonorum publicatione erant mulctandi, immo mulctis coram epiſcopo ſceleris expiandi dabatur copia. Ipſum etiam edictum d. 20 Mart. 1563, horum ſtatuit pœnam proſcriptionem rei, ejusqve ſupplicium capitale (*"vorde udſleger og miſte Livet"*), ſi nimirum, in regno poſtea fuerit deprehenſus.

---

*) *Landnáma Saga* edit. 1774. Mantiſſa p. 381.

Tantam ergo tollere Anomaliam inter *Jónsbók Mannhelgis* 2 & 4 capp. de pœnâ monetæ regiæ adulterationis (de exteræ enim nil ſpeciatim noſtro jure eſt cautum), et corruptionis ſchedularum ærarii mercatorii ex præcepto edicti d. 22 Apr. 1778 §. 3, ſummo tantum imperanti, non vero tribunalibus jure competere videtur. Qvod, ut de plurimis ſimilibus antiqvioris recentiſſimiqve juris male analogis principiis, valeat oportet.

Auctiones ſive *ſubhaſtationes* bonorum ultimo qvidem ævo vel judicum ſive arbitrorum familiæ herciſcundæ, vel magiſtratus auſpiciis aliqvo ſaltem uſu nonnusqvam in Islandia invaluere, nullius tamen ex præcepto legis, ideoqve interdum minus anxiâ formularum juris danico-norvegici hâc de re nonnusqvam obſervantia, præſertim reſpectu illarum et catalogi vendendorum, præviæ et ſufficientis proclamationis, præceptiqve ordinis in ipſo actu curæ, qvam ſi expreſſa illas Islandis indixerit lex, qvæ adhuc principalis deſideratur, etſi nonnulla hoc reſpicientia negotium nuperrime apparuerint edicta, qvo-

rum ultimum d. 3 Junii 1818, faluberrimas præcepit regulas, fi modo Islandiæ familiæ hercifcundæ congrua lege de receptæ pecuniæ fecuritate, ipfiusqve actus maturâ confummatione gauderent. Hic faltem bene notandum, N. L. 3—19—20 nec ullius ibidem effe valoris, cum refcriptum d. 17 Febr. 1769 *tantum N. L.* 5—2 *cap.* de Ordine fucceffionis ab inteftato et familia hercifcundâ legem jusferit, nec præterea ullâ fine reftrictione, *dum fubhaftationes jure et ufu non invaluerint*, hic exerceri poffe, nec deniqve omni refpectu et femper utiles huic infulæ cenferi mercantur, ubi extrema, imprimis numeratæ pecuniæ prævalet indigentia, incolæ vero rure longo latoqve intervallo diffiti feveriore anni tempore, duro admodum noftro fub climate, raro vel tabulam, nedum catalogum auctionum tempeftive recipere, vel ad indictum convenire poffint locum, qvæ peculiares rationes præter varia, qvæ publicis propofuimus demonftrationibus, nec non vulgatâ noftrâ Ao. 1799 fub titulo *Gaman* og *Alvara* p. 12—35 disqvifitione, argumenta, ambiguum fæpe et paffim in Islandia, interdum vero et nonnus-

qvam opportunum ſatis, auctionum comprobant uſum.

Jam ſufficiat his paucis generalem *juris hodierni islandici*, qvalemcunqve dediſſe conſpectum, *præcipuorumqve ejusdem desideratorum*, juſtum Islandiæ deſiderium ſat ſuperqve probantem horum qvam primum convenientibus legibus lætari emendatione, paucis: Islandiæ naturæ et uſibus, noſtroqve tempori bene accommodato *novo legum gaudere codice*.

Varia in hanc Commentationem inauguralem cum irrepserint menda, præcipuorum hic subjungere indicem necesse duxit Auctor, lectorum fretus benevolentiâ, qvâ huic congruenter amice hæc emendare non recusent.

In vitâ:

Pag. III. linea 21, lege: componeret.
— — — ult. lege: die 6 Junii 1800 creatus.
— VII. — 9 lege: pro Islandia editorum
— — — 26 — islandice conscriptum
— VIII. Editis Auctoris scriptis adde Commentarios anniversarios, titulo Klausturpósturinn insignitos, varii argumenti, in singulos menses editos, quorum pars I. pro anno 1818, dimidiumqve partis II. pro anno 1819, jam prodiit.

In ipsâ Commentatione:

Pag. 13. linea 14, lege: probatura — 22. l. 13, lege: qvânam. — 25 l. 24, lege: servavere. — 34 linea ultimâ, lege: loco citato pag. 31. — ibid. not. **) lege: pag. 32—33. — 39, l. 2, lege: fœmina. — 48 l. 4, lege: p. 33. — 52 l. 16, lege: exemti. — ibid. l. 17, lege: intendebatur. — 54 l. 21, lege: pag. 29. — 62 not. *) lege: disqvisitionem. — 63 not. l. 2, lege: de præmiis Islandorum. — ibid. l. 9, lege: valet de. — 65 not. l. 6, lege: 1815 aperte testantur. — 68 l. 19, lege: unicuiqve facile discernendus. — 71 l. 22, lege: annumerat. — ibid. l. 24 lege: publicatione. — 75 l. 4, lege: bonorum privandos jubeat, quod &c.

— 79

— 79 l. 18, lege: nititur. — ibid. l 20, lege: improbat. — 80 l. 23, lege: mikils. — 86 l. 21, lege: pag. 47. — 92 l. penult. lege: bonorum. — 93 l. 13, lege bonorum. — 95 l. 1, lege; suppellectilia. — 102 l. 14, le: -: pag. 100. — 103 l. 10, lege: fuisse. — 104 l. 4, lege: fuisse. — 105 l. 13, lege: non adversatur. — ibid. not. ***) l. 2, lege: censebantur. — ibid. l. 4, lege: Arna. — 108 l. 12 lege: argumenta, probatio erit. — 109 not. l. 1 & 2, lege: 13 marcas & 8 ortugas. — ibid. l. penult lege: septem nummulis plus dimidio. — 115 l. 14, lege: existimamus. — 123 l. 7, lege: unumqvemqve. — 130 l. 1, lege: donec nova rogatio legum. — 136 l. ult. omitte: longum hoc edictum. — 137 l. 3, lege: Christiani Regis. — ibid. l. 15, lege: pag. 34-35. — 140 l. 24, lege: fundi. — 144 l. 14, lege: Landsl. b. 26 C. — ibid. not. l. ult. lege: diximus p. 130. — 148 l. 23, lege: eqvidem scio. — 149 l. 11, lege: hoc. — 152 l. 15, lege: Landabrb. c. 8—11. — 162 l. 10, lege: pag. 147. — 169 not. l. 8, lege: annuam. — 174 l. 21-22, lege: edicta ibidem hac de re observari. — 175 l. 18, lege: pag. 150—52. — 176 l. 3, lege: pag. 143. — ibid. l. 14, lege: tuto peragendos. — 177 l. 7, lege: Si vel jus hodiernum criminale. — ibid. l. 23, lege: disqvisitioni. — 184 l. 18, lege: sunt, si, v. gr. — 185 l. 4-5, lege: prout commodam satis rationem. — ibid. l. 11 lege: tribus vero marcis.

Videyæ, die 12 Julii 1819.

M. Stephensen.



